

ENARRATIO ALEXANDRI APHR. IN SE-
cundum librum primæ philosophiæ, Latinis Tertium,
interprete Ioanne Genesio Sepulveda.



Necessesse est ad eam scientiam quam quærimus, ea primum nos ag-
gredi, de quibus dubitare primum oportet. Hæc autem sunt ea,
de quibus aliter quidam existimarunt, & si quid præter illa fuit
neglectum atq; omisum. Est autem operæ precium bene eos du-
bitare, qui consequi percipiunt facultatem: posterior enim facul-
tas, solutio est eorum quæ prius dubitabantur. Atq; fieri non po-
test, vt vinculum solvatur, si ignoretur.



Necessesse est ad eam scientiam quam quærimus, ea primum nos ag-
gredi, de quibus dubi-
tare primum oportet. Sciëntia quam quærimus, & de qua nobis est sermo susceptus,
sapientia ipsa est, & theologia, quæ ex ordine metaphysica inscribitur, quoniam po-
sterior est quo ad nos naturali doctrina: quam item solet primam philosophiam ap-
pellare, quia primarum nobilissimarumq; rerum est cõtemplatrix. quod ipsum est in
causa, vt theologia, id est scientia de deo nuncupetur. differit enim potissimum de cau-

Enar. x.

Theolo-
gia, dicitur
metaphy-
sica.

sa & forma, quam ipsi substantiam a materia prorsus abhorrentem esse placet, primumq; deum &
intellectum appellat. Ad inuestigationem igitur huius scientiæ, & eorum quæ per ipsam inquiren-
tur, necessum esse ait ea primum commemorare ac recensere, de quibus in primis est inquirendum:
deinde propositis ipsarum rerum questionibus, rem, quemadmodum est præfatus, persequitur. Nisi
siquis hæc ita accipiat, quasi in vniuersum præcipiantur, doceatq; ad omnium scientiam inuestigã-
dam in vniuersum necesse esse, primum ea commemorare, de quibus est primum differendum: per
hæc enim via est ad ea quæ scire cupimus inuenienda. Quod si ad omnem scientiam, ad hanc quoq;
id necessarium fuerit. Quæ porro in singulis doctrinis dubitare ac differere oporteat, docet, cū ait,
(Hæc autem sunt ea, de quibus aliter quidam existimarunt.) Aliter, id est incommode ac inepte,
vel apte quidem, sed perperam. aut significat quæ aliter alij senserint. Nam de quibus priores au-
ctores diuersas habuere sententiâs, ea maxime dubitantur: aut quæ cum essent cognitu necessaria,
fuerunt tamen a prioribus ignorata. Huiusmodi autem quæstiones se disputaturum esse significat,
cum ait dubitare siue differere oportere. Deinceps in vniuersum confirmat, docetq; de re quapiam
disputaturis, vt quæ inquirent inueniant, commodum esse primum de ipsis quære seu dubitare,
quoniam ipsorum facultas inuentioq; & confirmatio ex inuentione pëdet quæstorum. Sed dictio
commodius haberet si pro (est autem) scriptum esset (est enim.) Posterior enim facultas, solutio est
eorum quæ prius dubitabatur. est autē sensus, Solutio enim prius quæstorum causa est facultatis po-
sterius comparadæ. vel sic, facultas enim posterius adquirenda, ex solutione prius quæstorum com-
paratur. Et profecto ipse hinc propositam doctrinam exorditur. De ijs enim agere orditur quæ ne-
cessario ad hic proposita conducunt. Nam quæ in duobus primis dicta sunt, exordium ipsius esse vi-
deri possunt, & ad constituendum ordinem pertinere: quo factum est, vt quibusdam hunc librū do-
ctrinæ metaphysicæ primum esse placuerit. (Nam fieri, inquit, nō potest vt vinculum solvatur, si
ignoretur.) si quæstorum inuentio & confirmatio ex dubitatorum solutione pendet, fieri autē non
potest, vt quispiam vinculum aliquid soluat qui ipsum ignorat, id est qui quomodo ligatum fuerit,
nescit, (Nam quomodo per scientiam vinculum soluas quod ignoras? Est autem vinculum in rebus
quæredis, mentis dubitatio, quippe quæ rei vinculum demonstrat) profecto de ijs quæ indagari ac de-
monstrari debent, primum dubitare necessarium est, si quidem inuentio dubitatorum solutionē se-
quitur, nec dubitata solui possunt, si quo modo fuerit dubitatum, ignoretur.

Dubitatio
nis necessi-
tas in do-
ctrinis ad-
piscendis.

Sed dubitatio mentis id ipsum de re declarat. Quo enim mens dubitat, eo persimi-
lis est ligatis. fieri enim nequit vt ulterius hæc aut illi progrediantur. Quapropter dif-
ficultates omnes antea cõtemplari oportet, & horum gratia, & quia homines qui quæ-
runt, si primo non dubitauerint, persimiles hisce sunt, qui ignorant quorsum pergere
oportet: & insuper neq; si id quod quæritur, inuenerint tandem, necne, discernere pos-
sunt. finis enim hisce quidem non patet. At ei qui antea dubitauit, est manifestus. Præ-
terea melius ad iudicandum affectum eum esse necesse est, qui rationes etiam conten-
dentes omnes perinde atq; aduersarios audiuit.

² Sed dubitatio mentis id ipsum de re declarat. Id est, sed mentis dubitatio vinculum quod in re ha-
betur, manifestat. Cum autem dubitationem vinculum appellasset, dubitationis ad vinculum simili-
tudine adiecit. Nā vt vinculum impedimento est quo minus ulterius & ad destinatum locum procedatur,
e iij

fic mens dubitatione rei vltra progredi prohibetur. neutro enim modo vltra procedi potest. Nam nec qui ligatus est, nec qui dubitat, progredi valet. Quia igitur oportet vt vinculum cognoscat, qui est ipsum soluturus, idcirco necesse ait esse prius dubitare. Tum etiam quoniam qui de aliquo inquirunt non dubitantes, ij cæcis ingredientibus similes esse videntur. Qui enim de re quapiam verba faciunt citra considerationem dubiorum quæ inde emergunt, hi non habent propositum quo dicta spectare pertinereq; debent. Nam qui dubitauerint, antedictis eo ducuntur, vt via & ratione conquirant. Nam qui citra dubitandum de rebus aliquibus quærunt, ij ignorantes de quibus quærendum sit, inquirunt: his autem adijcit præterea non posse qui de aliquo quærunt absq; dubitatione, cognoscere an recte processerint, & finem sint consequuti quem petunt: cuius causa adiungit, quia sic de aliquo quærentibus finis propositus ignoratur. quocirca similes hos esse dixit ijs qui locum quo vadant, ignorant: vtpote quibus finis est ignotus. solutio nanq; eorum quæ possunt de aliquo dubitari, finis est atque inuentio ipsius. Sed & aliam supradictis causam adijcit, cur sit necesse prius dubitare. hæc autem est huiusmodi. Quemadmodum iudices ij rectius ferunt iudicium, qui & actorem & reum, non alterum solum audierint, sic in rebus inuestigandis is sapienter iudicabit, qui omnia quæ dubitari possunt, & dici ad confirmationem ipsorum & positionem, præcurrerit atque soluerit. Quibus rationibus quantas habeat dialectica ad philosophiam & veritatis inquisitionem commoditates, simul aperitur. Est enim dialecticæ munus, quærere, ac in vtranque partem disputare: vt verum id esse intelligatur, quod in Topicis scriptum est, vtilem esse dialecticam ad philosophiæ disputationes.

Dialectica

Est itaq; dubitatio prima de hisce, quæ in exordijs dubitauimus, vtrū vnus, an plurium scientiarum sit causas contemplari.

Est itaq; dubitatio prima de hisce quæ in exordijs dubitauimus. Non eam dubitationem quam ponit, in exordijs dubitatā esse ait. Est enim prima dubitatio, vt ipse dicit, quæ debet disputari, vtrū vnus scientiæ munus sit omnium rerum causas contemplari, an plurium, vt alia scientia aliorum principiorum & causarum sit contemplatrix. quam dubitationē non videtur mouisse in libris duobus superioribus. In primo enim de anima eius meminisse videtur. itaque sensus fuerit, de ijs quæ in exordijs dubitauimus, primam dubitationem esse, quam primam ponit. In exordijs enim de causis dubitauit. primam igitur dubitationem de causis hanc esse ait, quam commemorat. Dubitauit autē de causis in primo quidem maiore quærens causarum genera quot sunt, vbi disputatis aliorū de causis opinionibus, quatuor esse genera causarum statuit: in primo autem minore disputans vtrum causa vel in rectum vel secundum speciem in infinitum procedat, an consistat, finitaq; habeatur. De his igitur prima dubitatio siue quæstio hæc fuerit, quæ in præsentia commemoratur. Vel igitur hoc est quod ait, vel primam de his dubitationem de ijs esse de quibus in exordijs dubitauimus, quasi non omnes sint de quibus in illis dubitauimus, quærentes an sint, & quot sint. de his igitur nunc dubitauimus, primaq; dubitatio hæc erit, nam & ipsa de causis est. Quidam tamen ob hæc, quæ ipse hoc in loco tradit, hanc ipsam dubitationem primi minoris fini adscribunt, quæ illic nulla ratione iacet. Illud autem, Vtrum vnus, an plurium scientiarum sit causas contemplari, huiusmodi est. Vtrum causarum omnium, quas esse quatuor statuimus, vna scientia sit contemplatrix, an alia scientia aliam causam contempletur, vt postea disputans confirmabit, vt merito dixerit, de his, quæ in exordijs dubitauimus. Nam in primo libro maiore de quatuor causis quæsiuit, de quibus quatuor causis hoc in loco est disputaturus, vtrum ipsarum cognitio vnus doctrine sit.

Et vtrum hoc solum ad hanc scientiam spectet, principia inquam prima substantiæ contēplari, an ad ea principia ex quibus vniuersi demonstrant, ceu si fieri possit vt idē ac vnum affirmetur simul atq; negetur, nec ne, & istiusmodi cætera.

Principia
demonstratiua.

Contradictio.

Et vtrum hoc solum ad hanc scientiam spectet, principia inquam prima substantiæ contēplari. Secunda quæstio quam disputari oportere ait, hæc est. Vtrum sapientis ac primi philosophi, primæque doctrine munus solum sit prima principia substantiæ cognoscere, an ad ipsam quoque pertineat, principia etiam demonstratiua cognoscere, ex quibus demonstrationes fiunt, quæ principia communia sunt, & sententiæ nuncupantur: hæc enim sunt omnis scientiæ principia. Quorum verborum hunc esse sensum innuitur verbo illo solum. in dictione vero desideratur illud (de principijs) est enim dicto consentaneum. sententia vero est, non posse contradictionem simul veram & falsam esse: & illud, quæ sunt eidem æqualia, ea inter se quoq; æqualia sunt. Itē si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, sunt æqualia: & illud, omnis appetitus est boni, aut existimati boni, & quæ his similia sunt. Sed omnium sententiarum communissima est, quam de contradictione diximus, quippe quæ in cunctis rebus vera est.

Et si sit huiusce scientiæ circa substantiam versari, vtrum vna sit circa omnes, an plures: & si sint plures, vtrum omnes generis sint eiusdem, an aliæ ipsarum scientiæ, aliæ aliquo alio nomine sint appellandæ. Hoc etiam ipsum quærere necessarium

esse videtur, vtrum substantias sensibiles solum, an præter has alias esse sit asserendum, & vtrum vnum sit genus, an genera substantiarum sint plura, vt ii qui formas faciunt, censent, ac inter has & sensibilia res mathematicas medias collocant. De his igitur, vt diximus, considerandum esse videtur.

5 Et si sit huiusce scientiæ circa substantiam versari, vtrum vna sit circa omnes, an plures.) Tertia quæstio est, Si huius doctrinæ munus est de substantia substantiæq; causis considerare, substantiæ autem plures sunt, quippe quarum aliæ intelligibiles sunt, aliæ sensibiles, vt oporteat principia esse diuersa, vtrum ad hanc scientiam pertineat de omnibus principijs substantiarum considerare, vt ipsa vna cuncta principia, quæ substantiarum sunt cognoscat, an plures ac diuersæ doctrinæ principia cognoscant, quæ iunt diuersarum substantiarum. Quin etiam si plures sunt, operæ precium fore ait disputare, vtrum hæ plures scientiæ inter se cognatæ sint, eiusdemq; generis, & omnes debeant sapientiæ nuncupari, an non omnes sint sapientiæ, sed quædam, cæteræ vero aliud genus sortiuntur. Hæc est factus, id quoq; querendum esse ait, vtrum hæ tantum sensibiles substantiæ sint, an præter has aliæ quædam habeantur, hoc enim nondum notum, neq; disputatum est. Differt autem hæc quæstio cū prima: quia in illa dictū est de principijs simpliciter, non de principijs substantiæ: in hac vero vtrum principiorum substantiæ sit vna scientia, an plures: & si plures, vtrum sint omnes eiusdem generis, & sapientiæ, an quædam sapientiæ sint, aliæ aliud scientiarum genus. Deinceps querendum esse docet, vtrum vnum genus, vnaq; ratio sit cunctarum substantiarum, an plura ipsarum genera, pluresq; rationes habeantur: quod quomodo dixerit, subiectis verbis declarat, (vt ij qui formas faciunt, & inter has & sensibilia res mathematicas medias collocant) quoniam authores idearū mathematica substantias esse putabant, quæ neq; ideis, neq; sensibilibus substantijs genere similes essent, sed huiusmodi substantiarum naturam mediam illis esse dicebant, vt tria sint secundum substantiam, quæ admodum de Platone in primo maiore dixit. Atq; hæc quidē quæstio plus aliquid quàm superior habet. Neq; enim in ipsa querit vtrum plura sint genera substantiarum, hoc enim positum est, sed vtrum eadem sint & quæ alij tradiderunt, itaq; illud (vtrum vnum sit genus) quasi consequens prædictorum additum est. Nam cum dixisset: Vtrum substantias sensibiles solum, an præter has alias esse sit asserendum, intulit illud: Et vtrum vnum sit genus substantiæ, haud enim dubitari potest, quin facientes media inter ideas & sensibiles substantias, plura genera præter sensibiles fecerint.

Idearum
authores.

Et vtrum circa substantias tantum sit contemplatio, an & circa ea quæ per se substantiis accidunt.

9 Et vtrum circa substantias tantum sit contemplatio, an circa ea quæ per se substantijs accidunt.) Accidentia dicit, quæ per se adsunt, vt sit sensus. Vtrum de substantijs tantum sit sapiens disputatur, an etiam de per se accidentibus. Sunt autem per se accidentia proprie, quæ in definitionibus accipiuntur, de quibus ei necessario agendum est, quia de quibusdā scientia sumi non potest, nisi quæ ad hunc modum adsunt, cognoscantur. Appellat autem per se accidentia, inseparabilia & propria & propemodum substantiata, per quæ quarundam rerum descriptiones explicari solent, vt triangulo per se accidit habere tres angulos duobus rectis æquales, & duo latera maiora esse tertio, vt cunque commutentur. quare definitio eius non constat ex his. sic item numero accidit, vt par sit, aut impar, & vnicuique entium vt vnum sit, quatenus hoc aliquid est, & cætera accidentia quæ ad hunc modum adsunt.

Per se acci
dentia.

Præterea cuiusnam sit de iis omnibus contēplari, de quibus artifices differendi considerare conantur, ex solis verisimilibus facientes cōsiderationem, de eodem inquam, & diuerso, de simili & dissimili, de cōtrarietate, de priore posterioreve, & cæteris omnibus talibus, & de his insuper quæ per se illis accidunt, vt non solū quid illorum sint singulara, sed etiam si vnum sit contrarium vni, consideretur.

7 Præterea de eodem, de diuerso, de simili, de dissimili, identitate, contrarietate, priore, ac posteriore.) Querit vtrum sapientis sit ad veritatem & scientiam comparandam disputare quænam sint, de ijs quæ dialectica quoq; vsurpat, ex probabilibus colligens, & proposita confirmans. quasi dicat, si dialectici munus est de ipsis probabiliter differere, cuius intererit de eisdem vere disputare. proponit autem de his inquirere. Ipsi enim vtitur in hac scientia ad aliquid demonstrandum, vtitur namq; eodem quod in substantijs dicitur, cum querat vtrum omnes substantiæ eadē sint inter se, an diuersæ, sed & alia quæ recensuit, in omnibus demonstrationibus vsurpari necesse est. Hæc enim communia instrumenta sunt demonstrantibus, & ipse in processu docebit quatenus harum rerum inquisitio & consideratio ad primum philosophum pertineat. haud enim doctrina hæc logica est, vt quibusdam est visum, quia pleraque talia in ipsa queruntur, quoniam non propter hæc disputat de his, neque in hoc propositum intuetur, sed quia primæ philosophiæ, ac entis,
c iij

qua ens est, contemplatricis munus est, de accidentibus, quæ enti communiter adsunt, contemplari, cuiusmodi hæc sunt, ut demonstrabit. Et de his insuper, inquit, quæ per se illis accidunt, ut non solum quid illorum sint singula, sed etiam si vnum sit contrarium vni, consideretur. Quæ dicat accidentia per se, exposuit, cum dixit, Non solum quid illorum sint singula, in ipso enim quid est, quæ per se adsunt, continetur: esse autem inquit quæ per se adsunt accidentia: exempli gratia omnis contrarietatis accidens per se est medium habere, vel carere medio, vel quale est quod ipse addit, si vnum sit contrarium vni, an non. quod ipsum præceptum dialecticum esse videtur, quoniam dispiciendum esse ait, num veritatem cuiuspiam horum considerare pertineat ad sapientem.

Et utrū principia & elementa sint genera ipsa, an ea quæ insunt, & in quæ res quæque diuiditur. Quod si sint genera, utrum sint ea quæ ultimo de indiuiduis ipsi dicuntur, an ipsa prima. Ceu utrū animal, an homo principium sit, & magis sit præter singularia ipsa.

Genera, an
eorū prin-
cipia sunt,
quorū sunt
genera.

Et utrum principia & elementa sint genera ipsa, an ea quæ insunt, & in quæ res quæque diuiditur. Quæritur autem oportere, utrum genera sint principia eorum quorum genera sunt: genera enim natura prima esse videntur: prima vero principia sunt. an ea in quæ diuiditur substantia, ut in materia & forma diuidi videtur, vel quatuor elementa, si quæve alia similia cuiuspiam supponere placet: quoniam in ea res quæque diuiditur, ex quibus primum constituitur: ea vero cuiusque principia esse videntur, ex quibus primum constat, ut elementa principia vocis sunt. Quod si genera principia sunt, rursus operæ precium esse ait inuestigare, num iuxta genera, an quæ proxima sunt indiuiduis, quæ licet iam indiuidua sint, communiore tamen vocabulo genera vocat, quia generis nomen pro communi usurpat.

Maxime vero quærendum atque tractandum est, si præter materiam sit aliqua per se causa, atque hæc sit separabilis, nec ne, & utrum vna an plures numero sit.

Maxime vero quærendum atque tractandum est, si præter materiam sit aliqua per se causa. Quod ait, huiusmodi est. Quidam veterum physicorum qui materiam tantum causam per se esse itauebant, huius affectiones causas ex accidenti esse confirmabant. his enim causam per se aerem vel aquam esse placebat, quidpiamve medium, aut aliquid aliud quod principium & elementum esse statuissent, cum horum tantum singula per se entia esse traderent, ex accidenti vero raritatem & densitatem, vel concretionem & discretionem. Isti ergo materiam & subiectum per se causam esse dicentes, aliquam materiam causam adijciebant, sed per accidens. hæc enim materiam accidunt. Sed ipse hoc in loco, non utrū sit aliqua ex accidenti causa præter materiam, quærendum esse ait, sed utrum per se, ut in physico auditu docuit. nihil enim minus alia, quin potius magis quam materia esse causæ videri possunt. Item si præter materiam est aliqua per se causa, disputare rursus oportere ait, num sit hæc a materia seiuncta, & per se subsistens, an in materia, qualis est forma materialis, & Stoicorum sententia deus, & causa efficiens. Ad hæc si qua est separata & immaterialis causa, utrum hæc vna numero sit, an plures. quam quæstionem in huius operis decimo libro disputat.

Et utrum sit quippiam præter ipsum totum. dico autem totum, cum de materia quippiam prædicatur. an nihil, an quorundam sit, quorundam non sit, & quales rerum sint tales.

Totum quod
dicatur.

Et utrum sit quippiam præter ipsum totum. dico autem totum, cum de materia quippiam prædicatur. Totum appellat vel commune, quod de singularibus, rebusque materialibus dicitur, & tum quæstio hæc esset, utrum præter commune & totum, quod de materiali prædicatur, sit aliqua alia forma separata, an præter commune nulla sit forma & idea. An quorundam sit, aliorum secus, ut auctores idearum tradunt: qui eorum quæ præter naturam fiunt, & item artificiosorum ideas esse negabant. vel totum appellat totum compositum. Sed cum totum dixisset, quomodo totum dixerit, exponit dicens (cum de materia quippiam prædicatur) id est, quando materia cum aliqua forma sumitur. Vel totum vocat materiale, ut sit quæstio nunquam forma separata sit præter materialem. hæc enim de materia prædicatur, estque totum materia cum forma quæ in ipsa habetur. an nulla talis sit. An quædam formæ sint a materia separata, quædam secus, hoc enim significat cum ait: An quorundam sit, quorundam non sit. Et si quæ omnino formæ sine materia sunt, quot hæc sunt. de quibus, ut supra commemoravi, disseiuit, dum de substantiis incommutabilibus verba facit. Itaque per superiorem quæstionem inquirat, nunquam sit alia per se causa præter materiam, & si est, utrum sit a materia remota, an cum ipsa. per hanc vero simpliciter utrum sit aliqua forma sine materia.

Præterea principia numero ne, an specie, tam in rationibus quam in subiecto sunt definita. Et utrum rerum quæ occidunt, & rerum quæ non occidunt, eadem principia sint, an diuersa. Et utrum omnia corruptionis expertia sint, an principia rerum quæ corrumpuntur, subeant corruptionem & ipsa.

11 Præterea principia numero ne, an specie sint definita.) Quærendum est, ait, principia & causæ, si finita sunt, vtrū non specie tantum, sed etiam numero sint finita, vt causa efficiens sitne vna numero, & materia vna numero, & cætera pari ratione, an licet causa non sit vna numero in vnaquaque specie causæ, specie tamen finitæ sunt. Nam esse specie infinita principia ponere, vt absurdum prætermisit: & quia in superiore libro id demonstratum est, & causas esse finitas in omni genere causæ. Idem autem de causis formalibus quæri ait oportere. hæc namq; sunt quæ in rationibus habentur, cū per eas cuiusq; ratio definitioq; explicetur. item de materialibus, quoniam hæc subiecta sunt. quod si efficiens quoq; & finalis causa genera causarū sunt, vt dixit in auditu physico, profecto de omnibus causis dixisse videbitur. Potest tamen per causas quæ in rationibus habentur, principia demonstrationum innuere, quas sententias appellamus, de quibus supra mentionem fecit. per eas vero quæ in subiecto, principia substantiarum, quoniam substantiæ subijciuntur. Illud item quærerere commodū esse ait, vtrum eadem sint principia mortalium rerū, atq; immortalium, an diuersa. & si diuersa, vtrū omnia sint immortalia, an mortaliū caduca, & vicissim eorū quæ interire nequeunt, immortalia.

Sententiæ,
demonstra-
tionū prin-
cipia dicun-
tū.

Præterea quæredum est id quod omnium est difficillimum, & dubitationem maximam habet, vtrum vnum ipsum, & id quod est: non aliud quicquā, sed eorum quæ sunt substantia sit, vt Pythagorici Platoque dicebāt, an non ita sit, sed aliud quippiam sit ei subiectum, vt sententia quidem Empedoclis amicitia, quorundam autem aliorū, ignis, vel aer, vel aqua. Et vtrum principia vniuersalia sint, an ita sese habeant, vt res singulares. Et potentia ne sint, an actu.

12 Præterea id quod est omnium difficillimum, & dubitationem maximam habet, vtrum vnum ipsum, & id quod est, non aliud quidquam, sed eorum quæ sunt, substantia sit.) Quæstio quam maximam habere controuersiam ait, hæc est: vtrum vnum & ens ipsa sint substantiæ, & rerum principia, hoc enim significat, cum ait. Sed eorum quæ sunt, substantia sit, vt Pythagoricis placet, & Platoni, qui ipsiens & ipsiunum faciebat. Cuius sententiæ meminit in tertio libro Physici auditus, cum de infinito disputaret, & in huius operis primo maiore libro. An aliæ quædam naturæ subijciantur: quibus & vnum & ens accidant: vt naturales tradunt, qui aquam vel aerem, amicitiamve, aut mentem, aut quidpiam simile rerum principium esse statuūt: cuius & ens & vnum accidentia esse aiunt. Et vtrum principia in propria substantia, & per se sint, vt singula quæq; entia, an non, sed quemadmodum genera vniuersaliaq; & communia, quibus esse in eo est, quod de singularibus prædicatur. Quæ dubitatio diuersa est ab ea quæ paulo ante opposita est, qua quærebat, num principia & elementa sunt genera, an ea quæ in rebus habentur, in quæ ipsæ singulæ diuiduntur: quoniam in illa quæritur, vtrum ea quæ in singularibus habentur, in quæ ipsa singularia distribuuntur, sint ipsorum principia, an communia quæ de ipsis prædicantur. In hac vero communiter & in vniuersum vtrū principia sic se habeant vt communia, quibus non licet per se subsistere, an quemadmodum singularia: & si ad hūc modum, vtrum principia potestate sint vt materia, an actu per se existant, vt ignis, aut aliquod corpus tale quippiam elementum esse statuentibus.

Et alio ne modo, an motu. Hæc enim magnam dubitationem præbere possunt. Insuper quærendum est, si numeri, longitudines, figuræ ac puncta, substantiæ quædā sint, nec ne. Quod si substantiæ sint, vtrum a sensibilibus sint separata, an sint in ipsis. De his enim omnibus non solum difficile est consequi veritatem, sed ne ratione quidem bene dubitare facile est. Primum igitur quærendum est de quibus diximus primum, vtrum vnus an plurium sit scientiarum genera causarum omnia cōtemplari. Etenim quonā pacto vnus erit scientiæ principia rerum cognoscere, cum non sint contraria?

13 Et alio ne modo, an motu. hæc enim magnā dubitationem præbere possunt.) Hoc est quod quærendum esse ait, vtrum principia ob hoc principia sint, quod moueant & efficiant ea quorum principia sunt, an ob aliam rationem? Nam quoddam principium mouens esse videtur vt efficiēs, aliud non item, vt materiale. Sed fortasse sensus alius est ad hūc modū, vtrum hæc principia moueantur, dum causæ sunt rebus quæ ex ipsis fiunt, an immota maneant, vt ideæ per ipsarum auctores, cuius modi est etiam prima causa. Quin & aliter verba illa exponi possunt, vtrum principia moueantur, & alterum in alterum commutetur, an sint huius vicissitudinis immunia. Ad hæc illud quoq; inquisitione dignum esse ait, num mathematica substantiæ sint, an non. Mathematica enim sunt numeri, longitudines & figuræ: planæ videlicet vt triangulus, quadratus, circulus, & cætera id genus: itē pūctā. idq; vt quibusdam placet, an secus. Et si substantiæ sunt, vtrum sint a sensibilibus separata, & per se, an in his mathematica esse habeant. Sed præfatus de quibus dubitandum quærendumve sit, non solum veritatem in his delitescentem eruere perdifficile fore ait, quippe cum prædictorum veritatis inuentio caput & summa sit huius scientiæ, sed ipsam etiam inquisitionem plenam esse difficultatis. Deinceps aggreditur ad illam quæstionem disputandam, quam primū differere proposuerat: ea

Mathema-
tica.

vero est, utrum vnus scientiæ munus sit de omnibus principijs cunctisq; causis differere, an pluriū: ut alia de alio genere causæ sigillatim consideret. Et in primis non esse vnus scientiæ de omnibus causis inuestigare, arguere conatur, utiturq; primum huiusmodi ratione, Quorum specie discrepantium eadem habetur scientia, hæc inter se opposita sunt. causæ autē non sunt inter se oppositæ, non est igitur eadem scientia causarum specie discrepantium. Quæ ratio est in secunda figura, & quod ad modum pertinet, apta & syllogistica. primam tamē propositionem falsam assumit. Neq; enim verum est, quorum differentium specie eadem est scientia, hæc inter se pugnare. Illud verū est, oppositorum eadem esse doctrinā. ita id quod cum hoc conuertitur, scilicet, quorum non est eadem scientia, ea non sunt inter se opposita, hoc non est idem atq; id quod supra dixit, quorū non est eadem scientia, hæc inter se opposita sunt. tunc enim differentium specie, duntaxat si contraria sint, eadem esse doctrinam statueretur, quod significauit dicens. (Quonam pacto vnus erit scientiæ, principia rerum cognoscere, cum non sint contraria?) Hic autem contrariorum eadem esse scientiam sumitur, non tamen contrariorū tantum. Nihil enim prohibet eandem scientiā quorumpiam non oppositorum esse. Nam de quibus geometria differit, ea non pugnant inter se, sed & philosophia naturalis, & actiua, quæ specie differunt, & si non sunt oppositæ, sub vnam tamen scientiam cadunt. Præterea principia in opposita redigi posse, cuiuspiam fortasse placebit, in effectiuum scilicet, & passiuum. materia enim passiuæ est, tria vero principia, quæ circa materiam versantur, ad formale referuntur. formale autem effectiuum est, cum omne efficiens per formam & perfectionem quam obtinet, efficiat.

Nō omnis scientia, oppositorum est.

Præterea compluribus eorum quæ sunt, non omnia competunt. Qui nanq; fieri potest, ut in immobilibus sit principium motus, aut boni natura, si omne quidem quod est per se atq; suapte natura bonum, finis sit, atq; adeo causa ut illius gratia cætera sint atque fiant: finis autem, & id cuius gratia cætera fiunt, actionis sit cuiuspiam finis, actiones vero omnes efficiantur cum motu? Quare fieri non potest, ut in immobilibus hoc principium, aut vllum sit per se bonum. Quapropter & in mathematicis nihil omnino per hanc ostenditur causam, neq; vlla prorsus ex ea fit demonstratio, quia sic est melius, aut deterius. Quin nemo mentionem vllam omnino facit. Idcirco sophistarū quidam, ut Aristippus, in ipsas inuehebatur, in cæteris quidem inquiring artibus, & etiam sordidis, ut in ædificandi facultate, atq; suendi, omnia dici quia sic est melius, aut deterius, mathematicas vero nullam bonorum malorumq; curam habere.

Immobilis

Præterea compluribus eorum, quæ sunt, non omnia competunt. Hæc quoq; argumentatio eo pertinet, ut non vna scientia de cunctis causis differere doceatur, quæ quidē argumentatio ab ipsis scibilibus sumpta est. Nam si non cuncta scibilia omnes causas habent, scientiæ autem priorū suorumq; scibilium contemplatrices sunt, satis declaratur, ea quamque principia cognoscere, quæ in proprijs ipsius scibilibus continentur. Ac proinde aliā aliorū esse cognitricem, eorum scilicet quantum, quæ in suis scibilibus habentur. Non haberi autem in cunctis scibilibus omnes causas, in rebus immobilibus ostendit. Immobilia enim appellat ingenita, & immortalia, principium vero motus dicit causam efficientem: quibus immobilibus annumerat mathematica. In his enim neq; causa habetur, vnde principium motus proficiscitur, hoc est efficiens. nam quomodo ingenitarum rerum & immobilium efficiens ac mouens causa esse possit: neq; item boni natura inest, id est finis, & cuius gratia. Causa enim, ut bonum, est cuius gratia cætera fiunt, ipsa vero nullius est gratia. huiusmodi autem est finis. At finis alicuiusq; gratia quæ ad finem pertinent, efficere in actionibus consistit, & in effectiuis actiuisq; scientijs. porro in quibus effectio & actio inest, in ijs motus etiam habetur. non igitur in immobilibus est causa finalis, quæ quidem sua natura & simpliciter bonū est. hoc nāq; innuit, cum ait (quod per se ac suapte natura bonū est.) quod ipsi bonum appellauit. Cæterum demonstrare moliens causam ut finem non in cunctis rebus haberi, non magis quam efficientem, neutra enim immobilibus attribuitur, non dixit causam finalem in ipsis non haberi, sed naturam boni, cui accidit esse fini. Quamobrem primū a bono sumens argumentum, docet a rebus immobilibus causam ut finem abesse, dum in cunctis rebus bonum finem esse demonstrat: sed quia nonnulla bona sunt effectiua, qualia bona finis habeant rationem, explicauit dicens, (si omne quidē quod est per se, atq; suapte natura bonum, finis est) Sed sumens, quod per se bonum est, id esse causam ut finem vbi ostēdit causam ut finem cuiuspiam actionis esse finem, omnes autem actiones cum motu peragi nam virtutum actiones quæ honestum habent propositū, cum motu efficiuntur, quin & artes singulæ, quæ boni cuiusdam sunt appetentes, id ipsum per actionē & motum indipsuntur, per hæc demonstrauit in rebus immobilibus non esse causam, quæ boni & finis rationē habeat. Illud vero (Aut vllum sit per se bonum) perinde est ac si diceret, nulli est bonum ut finis. At ipsi bonum per se suaq; natura bonum est. quod autem sic bonum est, id finem esse dixit: quod verum esse docuit mathematicū exemplo. In his enim neq; efficiens causa neq; finis habetur, neq; vllus vnquam

in geometria, cū aliquid demonstraret, causam reddidit quia sic melius est, vt diceret exempli gratia trianguli angulos pares esse duobus rectis, quoniam hoc melius sit: quemadmodum in operibus quæ natura fiunt, aut arte mouentur, redditur causa gratia cuius. Nec omnino quisquam geometra causæ vt finis mentionem fecit. Quæ si vera sunt, efficitur vt aliæ scientiæ aliarum causarū cognitrices sint. Ad hoc enim cōcludendum illa commemorauerat. sed cum dixisset in mathematicis non esse causam vt finem, quod quidem est bonum, in huius confirmationem, sophistarum sententiā de mathematicis commemorat: quorum Aristippum mathematicas disciplinas imperfectiores etiam vilibus artibus esse tradidisse refert. In illis enim singulis aliquē esse finem bonumq; propositum, & ab ipsis suis operibus edendis mentionem fieri causæ, quæ in hunc modum reddi solet, quia sic melius est, mathematicas vero omni tali causa carere, neq; vllam bonorum malorumq; rationem habere. Cæterum in hac ratione nihil aliud quàm deceptio quædam esse videtur. Neq; enim si in quibusdam scibilibus non omnes causæ inesse videntur, statim nullius doctrinæ munus erit omnes causas cognoscere. Nam eadem ratione demonstrare licebit, quoniam in quibusdam scibilibus sunt omnes causæ, idcirco ad vnam scientiam pertinere posset ipsas omnes cognoscere. Neq; enim si non omnes scientiæ cunctas causas habent, sed quibusdam ipsarum quædam adsunt, idcirco nulla erit quæ omnes cognoscat, vt ipse paulopost demonstrabit, inquirens per cuius causæ cognitionem potissimum scientia rei propositæ generetur in scientijs quæ omnes causas obtinent, propterea quod ipsarum subiectum quatuor causas sortiatur. Præterea non omne bonum suapte natura est agendū, sed partim agendum, partim contemplādum, non agendū, cuiusmodi est in mathematicis. Veritas enim eorum, quæ bonum quoddam est, in ipsis vt finis expetitur. Atq; adeo sapientiæ ipsius finis est huiusmodi bonū. cognitio enim præstantissimi ac optimi entis, quodq; maxime est, illius est finis, quæ quidem cognitio summum bonum est.

Nō omne bonū suapte natura est agendū

At vero si plures sint scientiæ causarum, & alia circa aliam causam versetur, quam harum oportet eam dicere quam quærimus? Aut quem eorum qui ipsas habent, rem maxime scire dicemus? fit enim vt ad eādem rem modi causarum omnes accommodentur. Domus enim principium quidem vnde proficiscitur motus, ars est atq; ædificator: id autem gratia cuius cætera fiunt, ipsum est opus, materia vero lapides sunt, & cementum, & forma est ipsa ratio.

- 15 At vero si plures sunt scientiæ.) Transit ad disputandum in oppositam partem. Quærit enim si plures sunt scientiæ quæ causas & principia cognoscunt, non vna tantū, vt superiores rationes concludere videbantur, quia non scibile quodq; cunctis causis vteretur, cuius causæ cognitio pertinet ad hanc scientiam quam quærimus, quæq; sapientia nuncupatur, vel quem dicere oportet præditū esse scientia rei propositæ ex earum numero quæ continent omnes causas. Fieri enim potest vt rei cuiuspiam omnes causarum modi suppetant. Ob cuius ergo causæ cognitionem, aut qua causa cognita quisquam eius rei scientiam indeptus fuisse putabitur? Si enim alia scientia aliā causam cognoscit, in quibus rebus quatuor insunt causæ, in his quam ex quatuor causis intelliget, qui sciens est futurus? Ad refellendam vero rationem quæ nititur ostendere aliam scientiam, aliarum causarum esse cognitricem, & non omnium vnam, propterea quod nō in omnibus causæ omnes habentur, vtitur eo argumento, quod eādem nonnunquam simul consistant: quoniam si in quibusdam rebus quarum habentur scientiæ, omnes causæ congruunt, haud dubie eadem ratione huiusmodi scientiæ singulæ omnium causarū conremplatrices fuerint, quo in genere est ars ædificandi, quam pro exemplo subiicit. In qua formam rationē esse ait, quoniam per formam cuiusq; definitio redditur. Id vero cuius gratia, opus esse dicit, vel quia finis in hac arte est id cuius gratia fit opus, fit autē protectionis gratia. Vel cuius gratia vocat opus, quod in ipsa efficitur, quod quidē est ipsa forma, vt eadem sit causa vt finis, & causa vt forma, quemadmodū licet in quibusdam naturæ operibus inuenire. Vel opus non est forma, sed totum compositum, quod non est idem atq; formalis causa. Possunt & in hunc sensum verba illa accommodari, vt quæretur in quibus quatuor habentur causæ, in ijs per cuius causæ cognitionem scientia potissimum in eo gignitur, qui omnes cuiuspiam rei causas cognoscit. Huiusmodi enim causæ cognitio propria esset sapientiæ. Sed vbi eiusdem rei causas a pluribus scientijs cognosci, aliam alia cognoscente, absurdum esse demonstrauit, dicens, (aut quē eorum qui ipsas habent, rem maxime scire dicemus) hoc omisso ad illud redit.

Cuius gratia, quid dicitur.

Ex his igitur quibus olim determinatum est, quam scientiam sapientiam oporteat appellare, consentaneum esse rationi videtur, illarum quamq; sapientiam nuncupare. Quo namq; sapientia princeps est maxime atq; domina, & cui cæteras vt seruas neque contradicere fas est, hæc scientia finis ac boni, sapientia nuncupanda esse videtur. huius enim gratia cætera sunt atque fiunt.

- 16 Ex ijs igitur, quibus olim determinatum est, quam scientiam sapientiam oporteat appellare, cō-

Cognitio,
quæ præstā
tissima.

sentaneum rationi esse videtur.) Postquam dixit quam ex his oportet eam dicere, quam quærimus, docet omnes posse sapientias nuncupari, argumento eorum quæ in primo libro dicta sunt de sapientia. Nam in primo libro maiore dum communes sententias quæ habentur de sapiente, commemorat, sapientiam facile principem & dominam esse cunctis videri ait, eandemque exquisitissimam, & maxime cognoscentem, & rerum difficilium cognitricem, quin & omnia quatenus licet intelligentem, & doctricem esse. Quibus assumptis, si cui singulas causas obire libeat, demonstrari posse dicit, sapientiam esse scientiam cuiusque ipsarum cognitricem. Quatenus enim sapientia præstantissima est, & maxime architecta scientia, & cæterarum scientiarum domina, hac finis cognitio sapientia esse videtur. Hoc enim est ipsum bonum, & cætera huius gratia sunt: quoniam in finem intuentes efficienda præscribimus. Præstantissimam igitur causarum cognitio, præstantissima & perfectissima optimaque est. Ea vero est, cuius gratia cætera sunt. Hac igitur ratione sapientia in cognitione finis versari videri potest.

Quo vero definitum est causarum primarum maximeque scibilis scientiam sapientiam esse, hoc substantiæ scientia nomen sibi non iniuria sapientiæ vendicabit.

Forma ma
xime scibi
lis.

Quo vero definitum est, causarum primarum maximeque scibilis scientiam sapientiam esse, hoc substantiæ scientia nomen sibi non iniuria sapientiæ vendicabit.) Quæ rursus, inquit, sapientia primarum causarum cognitrix esse dicitur, & maxime scibilem, hac rursus cognitio formæ ac huiusmodi causæ sapientia esse videri potest. Sed prius diserto de finali causâ rerum agendarum, iam de ea disputat, quæ in contemplandis habetur. Esse vero formam maxime scibilem ostendit, quia cunctis in rebus tunc scientiam quispiam habere dicitur, cum rei alicuius formam, & huiusmodi causam cognoscit.

Nam cum multis modis idem sciatur, magis quidem eos dicimus scire, qui rem ex hisce quæ insunt, quàm eos qui ex hisce quæ non competunt eidem, cognoscunt. horum autem alium alio magis, & maxime eum qui quidnam sit percipit, sed non eum qui aut quanta sit, aut qualis, aut si apta sit agere quippiam, aut pati, cognoscit.

Ex negati
onibus do
ctrinæ que
dā sumun
tur.

Nam cum multis modis idem sciatur, magis quidem eos dicimus scire, qui rem ex hisce quæ insunt, quàm eos qui ex hisce quæ non competunt eidem, cognoscunt.) Rem ab eo maxime cognosci, qui eius cognoscit formam, confirmans, illud primum sumit, scibile tunc magis a nobis cognosci, cum ipsum ex ijs quæ suppetunt ei, cognoscimus, quàm cum ex ijs quæ non suppetunt. Hoc enim est quod ait, (quàm non esse) Quædam enim doctrinæ, & quorundam rationes, ex negationibus sumuntur, quæ cognitio ex non esse dici potest. Nam qui punctum id esse definit, quod partem non habet, is ex non esse punctum cognoscit. Ex eo enim quod puncto abest, rationem conficit. Eadem ratione qui accidens esse ait, quod neque definitio est, neque genus, neque proprium, adest tamen rei, hic ex non esse definit. Idem si dicat accidens esse, quod eidem adesse & abesse potest, accidens ex esse cognoscit, quoniam cognoscit ex eo quod ipsi adest. Sed eorum qui esse cognoscunt, intelligens quid res sit, quæ quid ei accidat cognoscens, magis dicitur intelligens. Alter enim rem ex substantia cognoscit, alter ex accidenti. Hoc autem vnaquæque res est, quod per formam est. quare qui rei formam cognoscit, is rem maxime cognoscit. Si ergo formæ & huiusmodi causæ cognitio potissimum est ipsius rei scientia, potissimum vero scientia sapientia est, profecto per hanc rationem, scientia causæ formalis erit sapientia.

In cæteris etiam quorum est demonstratio, tum scire quodque putamus, cum quidnam sit vnumquodque cognoscimus, ut quadratorem inuentionem mediæ esse, & in cæteris simili modo.

Formæ co
gnitio, po
tissima rei
cognitio.

Præterea & in alijs cognoscere vnumquodque.) Dicitio ad hunc modum concinnius haberet. Præterea & in alijs quorum est demonstratio, tunc cuiusque scientiam adesse putamus, cum ipsum quod est, intelligimus. Illud autem (in alijs) dixit, pro in omnibus quorum sunt demonstrationes. Docet autem formæ cognitionem potissimam rei esse cognitionem, quoniam in demonstrationibus tunc propositi demonstrationem nos habere putamus, cum rationem eius definitionemque cognoscimus: quoniam cum definitionem rei propositæ cognoscimus, & quod adesse cuiuspiam demonstratur, hoc ipsi adesse per definitionem ostendimus, tunc ipsius potissimam demonstrationem nos habere putamus. Exempli causa tunc scimus defectus lunæ quid sit, cum didicimus terræ obiectionem definitionem esse defectus. Et pari ratione tunc quid sit quadratio rectilinei, scimus, cum inuentionem mediæ esse scimus. quadratus enim ex mediâ descriptus, par est rectilineo. Media vero dicitur qui laterum minore maior est, maiore minor: ex qua descriptus quadratus, par est dato rectilineo. Nam definitio cum causâ, demonstratio est positione differens, ut in resolutorijs posterioribus demonstrat.

Atqui circa generationes, actionesve, atque omnem mutationem tum maxime scimus, cum ipsum principium motus scimus. hoc autem aliud principium est atque op-

positum fini. Quare contemplatio harum causarum cuiusq; ad aliam aliamq; scientiam videbitur pertinere.

20 Circa generationes vero & actiones.) Postquam ostendit causæ formalis cognitionem sapientiam videri posse, idem de causâ efficiente docet. In cunctis enim rebus quæ fiunt, quæ aguntur, & omnino quæ mutantur, cognitionis ipsorum causâ est efficiens causæ cognitio, quæ quidem est vnde principium motus proficiscitur. Tunc enim Troiani belli causam scimus, cum scimus ob raptam Helenam illud fuisse susceptum: qui raptus est principium & causa belli. Et tunc scimus pugnae causam, cum nobis innotuit contumelia vnde pugna exorta est. Sed facta efficiens causæ mentione infert (Hoc autem alterum, & oppositum fini) quibus verbis has causas inter se oppositas esse ait. hæc autem effatus infert (quare alius videretur scientiæ esse contemplari harum causarum quæ) quod quidem minime cum proposito conuenire videtur. hoc enim quærendum sibi proposuerat. Nisi ad eandem scientiam omnium causarum cognitio pertinet, cuius causæ cognitionem, sapientiam conuenit appellare. Deinde per existimationes quæ de sapientia communiter habentur, licere demonstravit non tantum cognitionem causæ vt finis, sed etiam quæ de forma, quæq; de causa efficiente habetur, sapientiam appellare. quibus demonstratis consentaneum erat inferre, complures fore sapientias. Quocirca verba illa in hunc intellectum sunt accipienda. Quare ad aliam & aliam sapientiam singulas causas contemplari pertinet, neq; vna tantum est sapientia, siquidem non est vnius scientiæ munus, omnes causas considerare, sed quæ de harum trium quæq; differit, sapientia est. Quam illud (quare alius videretur &c.) dictum est non quasi his quæ nunc traduntur consentaneum, sed quasi ijs quæ primo dicta sunt coniungat, aliam scientiâ de alia causa considerare. Potest & aliter sensus explicari ad hunc modum, cum efficientem causam fini oppositam esse dixisset, quoniâ hæ duæ causæ oppositæ sunt, idcirco intulit non ad eandem, sed ad diuersas scientias vtriusq; ipsarum cognitionem pertinere. Aut certe melius in quibusdam exemplaribus scriptum est ad hunc modum. (Quare ob ea quæ dicta sunt, non alius videretur esse scientiæ contemplari harum causarum quæ) Idcirco enim sapientia omnium causarum cognitrix esse negabatur, quod causæ non essent oppositæ. At nunc in causis finali & efficiente oppositione reperta, & accedentibus rationibus, quibus plures scientias in causarum cognitione versari alienum esse arguebatur, infert supradictis esse consentaneum, huiusmodi causarum cognitionem ad diuersas scientias non pertinere, quo simul conficitur, de cunctis causis differere, ad sapientiam proprie pertinere. Sed illud est aduertendum, neque hoc in loco, nec in primo libro maiore, vbi in commemoratione communium de sapientia sententiarum eadem referuntur, mentionem fieri causæ materialis, cum de tribus cæteris differatur, doceaturq; quare cuiusq; ipsarum cognitio possit esse sapientia, quam nunc indagamus. cuius ratio est, quoniam illarum causarum cognitio præstantior est, magisq; scientia, quam materialis causæ notitia, cum illarum quæq; magis sit causa. Materia enim in ijs quæ fiunt ex ipsa, causæ sine qua non, videtur habere rationem.

Troiani
belli causa.

At vero de principiis etiam demonstrationis est controuersia, si vna sit, an plures de ipsis scientiæ. Atq; demonstratiua principia dico opiniones communes, ex quibus omnes demonstrant: vt omne quoduis affirmetur aut negetur necesse est, & impossibile est esse simul atq; non esse: & quæ sunt huiusmodi propositiones. Est igitur horum atq; substantiæ vna scientia, an alia, atq; alia? Quod si non sit vna, vtram dicere oporteat eam quæ nunc quæritur scientiam esse. Vnam igitur esse non est consentaneum rationi. Cur enim magis est proprium geometriæ, quam cuiusuis hæc intelligere?

22 Cæterum & de demonstratiuis principiis, vtrum vnius scientiæ, an plurium controuersia est.) Ex ijs quæ disputare proposuerat, secundum locum quæstio de sententijs obtinebat, quæ sunt principia demonstrationum, quas communes sententias appellat, quoniam a cunctis demonstrantibus usurpantur: eadæq; principia in mentione huius quæstionis vocauit, propterea quod principia sunt eorum quæ demonstrantur. Quærit igitur vtrum eiusdem scientiæ munus sit, de his considerare, cuius est de substantiæ ac entis principiis differere, an alterius, vt de principiis complures habeantur scientiæ, alia scilicet de his, alia de principiis substantiæ. Et si principiorum substantiæ cognitio, & quæ de principiis demonstrationis habetur, ad diuersas pertinet scientias, quorum principiorum scientiam sapientiâ oportet appellare. In qua quæstione vt doceat non esse eiusdem scientiæ de his ac de illis principiis considerare, hac primò vtitur argumentatione. si omnes demonstratiuæ scientiæ similiter vtuntur sententijs ad suas demonstrationes conficiendas, & non omnes de ipsis differunt, certe nulla earum quæ similiter eis vtuntur, de ipsis disputabit. Est autem antecedens verum. omnes enim perinde his principiis vtuntur, atq; ea quæ de substantiæ principiis edisserit, & non omnes de ipsis disputant. Non enim geometria, non musica, quanquam eadem hæc usurpent. consequens igitur verum est. Vel sic, si omnes scientiæ perinde sese habent erga sententias, atq; ea quæ disputat de substantiæ principiis, vel omnes de sententijs disputabunt, vel ne hæc ipsa quidem, sed omnes perinde se habent atq; hæc, neq;

Sententiæ
cōmunes.

omnes de sententijs edisserunt, ergo ne ipsa quidem quæ agit de substantia, ac proinde non est eiusdem scientiæ de substantia & de sententijs disputare. Nam quemadmodum cæterarum quæ his æque atq; ipsa vtuntur, non est proprium de ipsis disserere, sic ne huius quidem fuerit.

Si igitur cuiusuis quidē similiter est, omnium autē esse non potest: vt neq; cæterarū, sic neq; eius quæ substantias cognoscit, propriū est de ipsis cognoscere, & insuper quoniam pacto ipsorum scientia fuerit? Quid enim vnumquodq; ipsorum est, & nunc plane cognoscimus, nam vtuntur ipsis & aliæ artes vt cognitis. Quod si demonstratiua sit de ipsis scientia, genus subiectum esse quippiam oportebit, & quædam affectus, quædam dignitates ipsorum esse. Impossibile est enim demonstrationem de omnibus esse, ex quibusdam enim, & circa quippiam, & quorundam esse demonstrationem necesse est.

Si ergo similiter cuiuslibet est, omnium autem esse non potest. Quare nō potest omnium esse? An quia scientia demonstrat quæ per se subiecto adsunt, quarum vero subiecta sunt diuersa, earum demonstrata quoq; diuersa sunt. Neq; enim eadem per se diuersis adesse possunt, ac proinde ne sententiæ quidem per se omnium scientiarum subiectis adesse possunt, quod si ita est, non omnes scientiæ possunt ipsa demonstrare. Sed conclusio non esse vnius scientiæ de substantiæ principijs, & de sententijs quæ sunt demonstrationis principia, disputare, sententiarum nullam esse scientiam arguit, dicens. (simul autem quomodo ipsorum erit scientia? quid enim ipsorum quodq; est, etiam nūc cognoscimus). Sensus autem est, quicquid scimus, id vel per definitionem, vel per demonstrationē scimus. si ergo sententias aliqua scientia demonstrat, per quidpiam quod ipsis adest, demonstrat, sed quid earum quæq; sit, omnibus est per se notum, quoniā omni doctrina remota, notum est quid significet de quolibet affirmatio vel negatio. Item illud, quæ sunt eidem paria, ea inter sese quoq; paria sunt: quippe quibus omnes scientiæ pro notis vtuntur, nulla desiderata scientia a qua doceantur. quo fit, vt quid earum quæq; sit, nulla scientia definiat. quod si esset ipsarum aliqua demonstratio & scientia demonstrans, earundem essent aliæ sententiæ. (Et quædam passiones) id est ea quæ adesse demonstrantur. passiones enim seu affectiones appellat demonstrabilia quæ per se adsunt. (quædam vero dignitates) quibus ea quæ ipsis per se adiunt, demonstrantur. Dignitates, id est sententias, appellat propositiones quæ demonstrari nequeunt, mediocq; vacant. Illud autem. (De omnibus enim impossibile est demonstrationem esse) dixit velut consequens illius (oportebit aliquod genus esse subiectum, & has quidem passiones, illas vero dignitates.) Hinc enim sequitur, fieri non posse, vt cunctorum sit demonstratio, cum demonstrationes de ijs sint, quæ per se scientiæ subiecto adsunt, quas affectus appellauit, non autem de cunctis, aut quibusuis, sed neq; de omnibus quæ ad aliqua demonstrandum assumuntur, possunt fieri demonstrationes. Illud autem quod statim sequitur, (Ex quibusdam enim, & circa quidpiam, & quorundam esse demonstrationem necesse est), coniungitur cum illo (genus subiectum esse quidpiam oportebit, & quædam affectus, quædam dignitates ipsorum esse) illud enim (impossibile est enim demonstrationem de omnibus esse) per parenthesis, hoc est interpositionem dictum est propter sententias. Ex quibusdam ergo, id est ex sententijs, circa quippiam, id est circa aliquod genus subiecti, cui aliquid adesse aut abesse demonstratur. Quorundam, id est eorum quæ subiecto adesse, aut non adesse demonstrantur, quos appellat affectus.

Quare fit vt eorum omnium quæ demonstrantur, vnum sit quidpiam genus. Vniuersæ nanq; demonstratiuæ scientiæ dignitatibus ipsis vtuntur.

Quare fit vt eorum omnium quæ demonstrantur, vnum sit quidpiam genus. Sensus est, si demonstrationes sententiarum habentur, & sententiæ sint vnum genus, vnaq; natura subiecta, fiet vt omnia quæ per sententias demonstrantur, sint eiusdem naturæ, quoniam omnes scientiæ ac demonstrationes per sententias proposita demonstrant. sententiæ porro vnius & eiusdem naturæ sunt. quæ autem sunt eiusdem inter se naturæ, ea cuiusdam vnius naturæ sunt demonstratiua, si quidem demonstrationes sunt ex his quæ per se adsunt. vni autem naturæ hæc adsint necesse est, quæ vnius eiusdemq; naturæ inter se sunt. Dixit autem vnum genus pro vna natura. Aut illorum verborum sensus est: si qua est scientia, demonstratioq; sententiarum, aliquod eis genus subijciatur oportebit. Omnis enim demonstratio & scientia demonstratiua in aliquo determinato genere versatur, & omne demonstrabile cuidam determinato generi adest. Sententijs igitur, si demonstrabiles sunt, & est aliqua scientia ipsarum demonstratiua, aliquod determinatum genus subijcitur, cui adesse demonstrantur. Omnis enim demonstratio cuiuspiam generi & vni cuidam subiectæ naturæ adesse demonstrat quæ demonstrat, quos ipse affectus appellauit, idq; per sententias, per quas fiunt demonstrationes, hoc est per propositiones immediatas ac indemonstrabiles. Si enim quæ demonstrantur, per sententias demonstrantur, possunt autem sententiæ demonstrari, fiet, vt in infinitum procedatur, ac proinde nulla ipsarum erit demonstrabilis, quod tamen oportebat, quia non omnia sunt indemonstrabilia. qua ratione demonstrare poterat sententiarum non haberi demonstrationē. Hæc

Scire nō
fit vnde
fit.

Dignitas,
id est sentē
tia.

Nō omniū
sunt demō
strationes.

Sententiæ
nō demon
strantur.

autem quæ commemorauimus, in omni demonstratione desiderari docuit, cum dixit, necesse est demonstrationem fieri ex aliquibus, per quæ demonstrantur, & circa quidpiam, cuius est demonstratio, & quorundam ipsorum quæ demonstrantur. At si vnum genus sententijs subijcitur, cunctis demonstrationibus omnibusque scientijs vnum & idem genus erit subiectum. Qui enim ad demonstrationem quopiam vtitur, quod alicui generi vnique naturæ per se adest, is non eodem in aliud, quàm in illud cui per se adest, vtetur. Neque enim quodlibet per quoduis demonstratur. Nam qui aliqua in geometria demonstrata vsurpat, is non ad aliud, quàm ad geometrica subiecta vsurpabit, scilicet quoniam his per se adsunt. Eadem erit ratio in musicis demonstrandis. Nam quod in hæc vsurpabitur, id ad nihil aliud, quàm ad subiecta musicæ accommodabitur, quoniam per ea quæ per se suppetunt, eorum quæ per se adsunt, demonstrationes fiunt. Qui ergo sententias vsurpant, ad illud genus eas vsurpabunt, cui sententiæ per se adsunt. Adsunt autem vni tantum: siquidem est vna scientia ipsarum demonstratrix. Omnes autem scientiæ ad ea quæ demonstrant, sententijs vtuntur. omnibus ergo scientijs idem genus erit subiectum, quoniam omnes sententijs vtuntur. hæc vero in vno genere habentur, nec fieri potest, vt quæ alicui per se suppetunt per demonstrationem, ea in aliud vsurpentur, quàm in id cui per se suppetunt. Quod si omnibus sententijs idem genus subijcitur, & omnes per eadem demonstrant (demonstrant enim omnes per sententias) efficitur, vt omnes scientiæ eadem sint.

Nō quodlibet per quoduis demonstratur.

At vero si alia sit substantiæ scientia, & alia item de ipsis, vtra sit potior ipsarum, & sua parte natura prior. Vniuersaliter enim dignitates maxime ac omnium principia sunt.

25 At vero si alia sit substantiæ scientia, & alia item de ipsis. Postquam argumentis docuit, non pertinere ad eandem scientiam, de principijs substantiæ, ac de principijs demonstratiuis differere, & demonstratiua principia non posse demonstrari extrinsecus, confirmauit, protinus id quod sequitur, inquit, vtra sit sapientia, & vtra potior, priorque, ea ne quæ de substantiæ, an quæ de demonstrationis principijs edisserit. At rationi magis esse cōsentaneum, eam esse sapientiam, quæ versatur in sententijs, arguit ad hunc modum. scientia quæ in primis versatur, prima est: sententiæ autem primæ sunt, quod docet dicens, (Maxime namque vniuersalia, & omnium principia sententiæ sunt). Vniuersalia enim priora ex natura sibi subiectis esse, demonstratum est. Huiusmodi autem sunt sententiæ, communes scilicet omnium, & vniuersales: quoniam quæcumque demonstrantur, per has demonstrantur, & hæc cunctorum sunt principia. principia porro priora sunt eo cuius sunt principia. Ita hæc in vniuersum captio quædam est, quæ in eo fallit, quod sumit sententias simpliciter prima & vniuersalia esse. Neque enim si qua sunt quorumpiã communia, protinus ipsorum vniuersalia sunt. Neque vniuersalia simpliciter & proprie prima sunt, ac proinde non erit simpliciter prima & nobilior, quæ de vniuersalibus agit. Accedit, quod principia non demonstrantur per sententias, quippe quæ demonstrari nequeunt.

Sententiæ, vniuersalia dicuntur.

Quod si non ad philosophum, ad quemnam alium verum de ipsis ac falsum contemplari spectabit?

26 Quod si non ad philosophum) Quod quæsiuerat, cuiusnam esset de his principijs disputare (omnium enim, aut nullius esse videbatur) nunc ostendit par esse, vt philosophus de sententijs edisserat, quæ demonstrationis principia sunt, quibus omnium quæsitorem veritas in primis demonstratur. quod arguit docens, absurdum esse dictum, alium quempiam præter philosophum de vero & falso differere. (De ipsis) id est de propositionibus, in quarum numero habentur sententiæ. Quis enim alius de vero & falso quod propositionibus inest, disputabit, nisi philosophus? His autem arguitur licet de demonstratione eiusque principijs differere non sit primi philosophi, at certe philosophi esse, quibus verbis omnino statui videtur demonstratricem doctrinam partem esse philosophiæ.

Philosophi est de sententijs differere.

Præterea vna ne omnium substantiarum, an plures scientiæ sunt? Atque si non vna sit, cuiusnam substantiæ hanc scientiam ponere oportet? Vnam autem omnium esse, non est consentaneum rationi. Et demonstratiua namque scientia vna omnium per se accidētium erit. Si quidem omnis demonstratiua scientia circa aliquid subiectum ex opinionibus communibus accidentia per se contemplatur. Eiusdem igitur est per se accidentia ex eisdem opinionibus circa subiectum aliquod contemplari.

27 Ad summam, vna ne omnium substantiarum, an plures scientiæ sunt). Quoniam substantiarum alia intelligibiles, & immobiles sunt, alia motu versantur, & sub sensum cadunt, idcirco quærit de omnibus substantijs differere, vnius ne an plurium & diuersarum scientiarum inter sit: ac nisi vnius, cuiusmodi substantiæ disputatrix doctrina hæc quæ dicitur sapientia, censeri debet. Neque enim par esse ait omnium substantiarum vnam esse scientiam arbitrari: cuius rationem infert, quia si vna esset omnium, vna scientia demonstraret quæcumque per se accidunt substantijs. Omnis enim scientia demonstratiua accidentia demonstrat, quæ per se generi in quo versatur, adsunt. quare si substantiæ

Demōstra
tiuæ sciētię
proprium.

vna est scientia, substantia vnum quoddam genus fuerit: quoniam si vnus generis scientia vna est, nimirum & cuius vna est scientia, id vnum est genus. Quod si substantia vnum genus est, & quæ vni generi per se accident, ab vna scientia demonstratur, profecto vna erit scientia quæ cunctis substantijs per se accidentia demonstrat. Proprium est enim demonstratiuæ scientiæ, in aliquo subiecto contemplari quæ illi per se contingunt, idque per axiomata & communes sententias. (Eiusdem igitur est per se accidentia circa idem genus ex eisdem opinionibus cōtemplari) Circa idem genus, id est circa id cuius est vnum genus. Cæterum ex accidenti absurdum inferre videtur, dum illud sumit, ad scientiam pertinere ea demonstrare, quæ genere sibi subiecto accident. Nam cum substantiæ cætera cuncta accident, sit vt qui de substantia scientiam vnā existere tradunt, ijs de omnibus entibus vnā esse scientiam sit confitendum, quippe cum omnia entia præter substantiam, substantiæ sint accidentia. Et hæc est causa cur sic loquutus est, (Et demonstratiua nanq; scientia vna omniū per se accidentium erit) Quod vero statim adiecit,

Subiectum enim circa quod, vnus scientiæ est, & ea ex quibus, vnus itidem est, siue sit eiusdem, siue non eiusdem: quare & accidentia simili modo, siue hæc contemplan-
tur, siue ex istis vna.

Cuius est
demōstra-
re, eius est
& cogno-
scere

Subiectum enim circa quod, vnus est scientiæ, & ea ex quibus, vnus itidem est, siue sit eiusdem siue alterius) Id mihi huiusmodi esse videtur. Effatus, si substantia est vnum genus subiectum, fore, vt vna scientia omnium per se substantiæ accidentium sit demonstratrix, subiungit in vniuersum. (Nam circa quod, vnus est scientiæ, & ex quibus, vnus itidem est, siue eiusdem, siue alterius. quare & accidentia simili modo, siue hæc contemplan-
tur, siue ex istis vna.) sensus ergo est. Eiusdem est scientiæ subiectum quid sit contemplari, & quæ subiecto per se accident. Ex his enim & in his illius esse consistit. At cuius scientiæ est cognoscere quæ per se cuiusdam adsunt, eius interest, quæ illi per se accident, demonstrare. Quamquam illud (ex quibus) sic potest explicari. Ex quibus demonstra-
tiones illius subiecti fiunt: si quidem per ea quæ per se accident, demonstrationes conficiuntur, quæ nota esse oportet ei qui in eo genere versatur. Ergo cuius est subiectam naturā cognoscere, eius refert, quæ illi per se adsunt, cognoscere. Substantiæ nanq; subiectæ cognitio, per ea comparatur, per quæ demonstrationes fiunt eorum quæ ipsi adsunt. At cuius scientiæ hæc cognoscere interest, eius refert, quæ per se huic generi contingunt, demonstrare. hoc est, quæ per demonstrationem ipsi ad-
esse demonstrantur. Nam cuius est subiectum genus cognoscere, & ea per quæ huic suppetentia demonstrantur, eius est quæ illi adsunt demonstrare. Cuius autem est aliqua demonstrare, eiusdem & cognoscere. Siue ergo vna scientia est, quæ in subiecto genere atque substantia versatur, propterea quod vnum genus sit, & vna quædam natura, vnus erit scientiæ, omnia quæ illi per se adsunt, demonstrare: siue plurium alteriusq; sit de proposito genere & substantia disputare, propterea quod non sit vna quædam illius natura. Neq; enim si qua vni superiori generi subiiciuntur, statim vnus scientiæ de his erit considerare: sed necesse est, vt eiusdem speciei ac naturæ id sit, quod cuiq; scientiæ subiicitur disputandum, ad plures eademq; pertinebit quæ ipsi per se suppetunt continguntq; * versantur. Illud autē (Quare & accidentia simili modo, siue hæc contemplan-
tur, siue ex istis vna) huiusmodi est, Ad eandem doctrinas pertinet subiecti generis contemplatio, & quæ de ijs habetur, per quæ huic suppetentia demonstrantur, & eorum quæ contingunt, & eidem adesse demonstrantur, cognitio. Siue igitur illæ plures sunt, & inter se disiunctæ, plures itidem erunt quæ isthæc demonstrant: siue vna ex pluribus scientijs, quasi ex partibus conflata, perinde se habebit, quæ huic generi suppetentia demonstrat. Erit enim vna, ex pluribus tamen scientijs tāquam ex partibus co-
acta. Quæ idcirco ab ipso adiuncta sunt, quoniam quæ de substantia habetur doctrina omnis, philo-
sophia esse videtur: non tamen omnis philosophia de omni substantia differit, sed parte sui de sub-
stantia sensibili & naturali, alia de substantia intelligibili. Cæterum quasi ad incommodum dedu-
xisset, fore vnā scientiam eorum demonstratricem, quæ substantiæ per se adsunt, constitit, nec in-
tulit quidpiam. Absurdum nanq; dictu est, eandem scientiam substantiæ sensibili accidentia con-
siderare, & item quæ intelligibili substantiæ contingunt. Sed quærat aliquis, quomodo substantia non est vnum genus, si genus vnum nunc appellet non quodlibet commune, vt dicebat, sed vnā speciem & vnā conformem naturam? Sic enim vna scientia in vno genere versatur, non quod omnia consideret, quæ supremo & cōmunissimo genere continentur, sed quia de ijs differit quæ eiusdem speciei ac rationis societate cōsentiant. Potest etiā illud (circa quod, vnus est scientiæ, & ex quibus vnus, itidem est) in hunc sensum accipi. In quo genere vna est scientia, considerans quid eorum quodq; est quæ illi generi subiiciuntur, ac definitionem inquirens in eo, vna itidem est, quæ cognoscit ac demonstrat ea quæ ipsi adsunt, & ex quibus esse illi suppetitur. Demōstrationes enim per ea quæ cuiq; per se suppetunt, quæq; illi per se accident, constituuntur. Est autem vnus scientiæ cognoscere, quæ per se vni cuiusdam generi adsunt: quoniam vbi vna est definitiua scientia, demonstra-
tiua quoq; vna est. Illud enim (quod) substantiam significat & quiditatem. Illud vero (siue eiusdem) significat definire idem subiectum, & demonstrare quæ ipsi per se suppetunt. hoc est, siue eiusdem est scientia definitiua, & demonstratiua, siue diuersa, nec ambæ partes vnus sunt, consequens certe fuerit vnus esse scientiæ quæ generi eidem per se contingunt, demonstrare. Hoc enim dictio

Vbi vna est
definitiua
scientia, ibi
demōstrati-
ua quoque
vna est.

ni deest, quæ ad hunc modum esset plena. Quare & accidentia simili modo contemplari atque demonstrare vnius erit. Cuius enim est ea ex quibus, huius perinde refert subiecto accidentia demonstrare, siue harum vtraque diuersa scientia est, quæ per se subiecto suppetentia considerat, vt sit quæ assumit, definitiua: quæ vero demonstrat, demonstratiua: siue vna quædam est scientia ex vtraque, id est ex definitiua & demonstratiua conflata. Nam quemadmodum vna est quæ definit ac ostendit vnius quiditatem, sic item vna est, quæ demonstrat. In quibusdam exemplaribus pro illo (siue hæc) scribitur, siue eadem. Cuius sensus esset, siue in vno genere definitiua & demonstratiua eadem sunt inter se, siue non eadem, sed partes vnius, vt subiecti generis scientia ex vtraque constituatur.

Præterea vtrum circa substantias solum sit contemplatio, an & circa ea quæ ipsis accidunt. Dico autem hoc pacto, si solidum sit substantia quædam, & lineæ, atque plana, vtrum ad eandem hæc & accidentia circa vnumquodque genus de quibus mathematicæ demonstrant, an ad aliam scientiam cognoscere spectet? Nam si ad eandem pertineat, demonstratiua quædam & substantiæ profecto scientia erit. At ipsius quid est, non videtur demonstratio esse. Sin ad aliam, quænam est ea quæ accidentia circa substantiam, contemplatur. hoc enim assignare difficile admodum est. Præterea vtrum solas substantias sensibiles esse, an & præter hæc dicendum est alias esse. Et vtrum vnum sit genus, an plura substantiarum sint genera, vt ii putant qui formas inquirunt, & res eas medias esse, circa quas mathematicas versari scientias dicunt.

28 Præterea vtrum circa substantias solum sit contemplatio, an & circa ea quæ ipsis accidunt.) Hæc quoque quæstio supra fuit ab ipso in dubiorum expositione commemorata. Quod autem hic dubitat, illud consequitur, quod statim dixerat, scilicet (circa quod enim vnius scientiæ, & ea ex quibus vnius itidem est, siue sit eiusdem, siue alterius.) quibus verbis cum docuisset, vnius esse scientiæ, vt subiectum genus definire, sic & quæ per se ipsi accidunt, demonstrare: & deinde dubitasset, vtrumque ne ad eandem scientiam pertineat, an ad alteram definire, ad alteram vero demonstrare, nunc separatim de hoc dubitat: quæritque vtrum proposita scientia, hoc est sapientia, substantias solum consideret, esse substantiæ, & quæ sit ipsius definita natura inuestigans, an accidentia quoque per se substantiæ contempletur, vt eadem demonstratiua sit. Nam si eiusdem munus est substantiam atque per se contingentia considerare, hæc nimirum demonstratiua fuerit. Est enim demonstratiua, quæ substantiæ per se adsunt, demonstrare. Cui velut incommodum adiunxit (demonstratiua quædam, & substantiæ profecto scientia erit.) quasi hoc consentaneum sit demonstratiuæ, sumens videlicet illud, ipsam de quibus differit ac contemplatur, ea demonstrare. (At ipsius, inquit, quid est, non videtur demonstratio esse.) definitionis & quiditatis merito sumens non esse demonstrationem. Hoc enim in posterioribus resolutorijs ostendit. Quamquam non est omnino consequens, si eadem scientia substantiam, & quid est substantia, atque per se substantiæ contingentia consideret, vt eadem protinus ipsum quid est, demonstrat. Neque enim si scientia quæ substantiam considerat, eadem est demonstratiua, statim fuerit substantiæ demonstratiua. Nam ipsum quid est, per definitionem accipiet, demonstrabit autem ea quæ per se adsunt. hæc enim sunt demonstrabilia. Non enim si eadem de vtrisque differit, idcirco de vtrisque similiter disputabit. Neque definire, & demonstrare idem efficiuntur, propterea quod ad vnum pertineant. Hic autem cum assumpsisset demonstratiuam fore substantiæ scientiam, transposuit illud, substantiam futuram demonstrationis, velut proprium sit demonstratiuæ scientiæ subiectum suum per demonstrationem considerare. Cæterum vt ostendat in quem sensum illam quæstionem accipiat, vtrum hæc doctrina de substantia tantum consideret, an etiam de substantiæ accidentibus, geometrica subiecta gratia exempli proponit, solida, plana, & lineas. hæc enim substantias appellat: quoniam his quædam per se adsunt, de quibus geometra conficit demonstrationes. eiusdem nanque munus fuerit, horum quodque contemplari, quid sit solidum, quid planum, quid linea definire, & quæ horum cuique per se adsunt, disputare. Est enim lineæ definitio, non lata longitudo. Cui per se contingit, exempli gratia, rectam esse, aut circularem. & illud, si recta super rectam consistens, pares inter se consequentes angulos effecerit, vtrumque parium angulorum esse rectum. item super stantem velut perpendicularum esse subiectæ, & cætera id genus. Quamquam exemplo ipso quæstionem propositam pene soluit. Siquidem geometra de vtrisque disputantes, definitiones non demonstrant, sed planum esse longitudinem cum latitudine solum sumentes, absque demonstratione ipsum usurpant. Demonstrant tamen quædam planis rectilineis, alia orbicularibus per se adesse. neque idcirco ipsius quid est, habetur demonstratio. Itaque geometra non habent substantias quas vt sibi subiecta definiat. scientia vero naturalis substantias pro subiectis habet, nihilo tamen secius ipsas definit, & quæ illis per se adsunt, demonstrat. Non enim mundus quid sit, aut quid sol, quidve alia substantia naturalis, demonstrat.

Vniusne scientiæ sit definire, ac demonstrare, an diuersarum.

Geometrica subiecta cur substantias appellat.

Subiecti,
& eorū q̄
subiecto ac
cidunt, cōsi
deratio ea
dem.

De figuris autem vel motu, locisve & cæteris, quæ per se rebus naturalibus contingunt, non item disputat, demonstrationesq; conficit. Pari ergo ratione si primis substantijs quidpiam accidit, qui de substantia ipsarum considerabit, idem de accidentibus eius disputabit, demonstrationesq; conficiet. Sed postquam si eiusdem sit scientiæ de utrisque cōsiderare, vt incommodum intulit hinc fieri, vt definitionis & quiditatis habeatur demonstratio, exponit rursus si non est vnus de utrisque considerare, quod dubium consequatur. Nam cum ab ea discefferis, inquit, quæ substantiam contēplatur, quænam alia substantiæ per se accidentia consideratura demonstraturaq; sit, difficulter inuenies. Cui quod verum est subiicit, non esse facile inuenire aliam scientiam quid est subiectum considerantem, aliam vero quæ per se subiecto adsunt, non solum in substantia, sed etiam in quouis alio genere. Fieri enim non potest, vt qui rei substantiam ignorat, is rei accidentia demōstret. Deinceps quærit id quod initio quarto loco proposuit, vtrum solas substantias sensibiles esse censendum sit, an præter has aliæ substantiæ per se sint. Itaq; non solum dixit vtrum præter substantias sensibiles aliæ sint, sed addit id quod in dubiorum enarratione adiunxit, dicens, vtrum hæ tantum sint, an plura sint huiusmodi substantiarum genera, vt aliæ sint ideæ & exemplaria, aliæ mediæ inter ideas & substantias sensibiles, vt mathematicæ. Hunc enim locū mathematicis tribuebat Plato, qui substantias per se esse putabat a sensibilibus & ideis diuersas. Quærit igitur de hoc, num substantiarū plura genera habeantur, & plura non haberi demonstrabit, dicta retellendo.

Quemadmodum igitur ipsas formas causas atq; per se substantias esse dicimus, in primis sermonibus de ipsis est dictum.

Vt igitur ipsas formas causas, atq; per se substantias esse dicimus, in primis sermonibus de ipsis est dictum.) Proposita quæstione, num solæ substantiæ sensibiles sint, an aliæ præterea, & an plura genera sint earum quæ a sensibilibus sunt diuersæ, vt veteribus Platonice videbatur, qui ideas & mathematicas substantias asseriebant, de his inquit, num fieri possit vt huiusmodi aliquæ substantiæ sint. Sed antequam his de rebus differit, admonet nos, quales has substantias illi esse putauerint, ad ea relegans, quæ in primo libro dicta sunt. Vnde multis iam rationibus intelligitur, illum quoque librum Aristotelis esse, & ad propositam doctrinam pertinere. Illic enim more suo de ipsis perinde loquutus est, atq; hoc in loco meminit. Nam vtrobique velut propriam opinionem edisserit, dum idearum sententiā refellit. Illud vero (vt igitur) dictum est loco huius, quomodo igitur. In primo autem libro Platonice putasse docuit ideas esse substantias quasdam per se intelligibiles a sensibilibus seiunctas, ad quarum exemplar sensibiles esse obtineant, quæq; ad formalem causam & quiditatem referantur.

At cum multæ difficultates habeantur de ipsis, non minus id est absurdum, asserere quidem quasdam esse naturas præter eas quæ sunt in cælo, has autem dicere non differentes a sensibilibus esse, nisi duntaxat æternitate, quippe cum illas perpetuas faciant, hæ vero orientur ac occidunt. Inquiunt enim esse ipsum hominem & equum ac sanitatem, aliud vero nihil, perinde facientes atq; ii qui deos quidem inquiunt esse, humanam autem formam habere. neq; enim illi quicquam aliud quàm homines æternos, neq; ii formas aliud quicquam, quàm res sensibiles perpetuas faciunt.

At cum multæ difficultates habeantur de ipsis, non minus est absurdum, asserere quasdam esse naturas præter eas quæ sunt in cælo.) Quæ sint plures hæ difficultates, in primo libro explicauit. (Præter eas, inquit, quæ sunt in cælo) id est præter sensibiles, & quæ in mundo habentur. Nam mundum cælum appellat, quasi dicat in loco existentes, & natura consistentes. has enim proprie in cælo esse ait. Cum igitur idearum dogma multa incommoda consequantur (dubium est enim quæ sit ipsarum subsistentia, substantia ne, an secus, & quis est communis modus, & cætera de quibus in primo libro est dictū) nihilominus, inquit, absurdū est id quod hoc in loco addit, dicere videlicet esse quasdam naturas ab his sensibilibus substantijs & natura consistentibus diuersas, ideas ab illis nuncupatas, quas quidem naturas a sensibilibus, & in cælo existentibus æternitate solum differre statuebant. quod ipsorum dogmati consentaneum esse, ex ipsorum dictis edocuit. Aiunt enim ipsi hominem esse, & ipse equum, & ipsi sanitatem, nec aliud quicquam de his dicunt. At si homines illa sunt & equi, a sensibilibus solo ipsi discrepantia, profecto cætera eadem habebunt, atque sensibilia. Tradentes enim illorum definitiones, esse quoque ipsas congruere dicunt, discrepabunt tamen sola æternitate, quæ additamento ipsi videtur significari: prorsus vt illa quoq; sensibilia sint. Nam vt qui tradunt deos esse, eosdemque humana forma præditos, ij deos homines æternos faciunt per nomen deus de ipsis æternum prædicantes, sic qui formas, eadem atque sensibilia esse faciunt, solo ipsi additamento excellentes, hi sensibilia æterna ideas esse faciunt. Nihil enim homo aut equus esse potest, & horum rationem recipere, vt non idem sensibile sit, & sensuale. quod si verum est, idearum positione non efficitur, vt non tantum substantiæ sensibiles sint. Quod vero

Idearū sub
stantiā con
futat.

dixit in primo maiore, dum in hoc idearum dogma disputaret, qui rerum aliquam scientiam accipere volebant, eos ad ipsarum causas rimandas accessisse, & cum presentibus substantijs totidem numero affinxissent, tunc demum se rerum scientiam assecutos existimasse, quomodo dictum sit, hoc in loco declarat: quoniam idearum auctores nihil aliud quam sempiternas substantias easdem, pariterque substantijs quæ inquiruntur, accipiebant. Siquidem a sensibilibus solo additamento, ipsi, quod æternitatem significare videtur, differunt.

Præterea si quispiam præter formas & sensibilia, res ipsas medias ponat, complures sane difficultates habebit. Patet enim lineas similiter præter ipsas & sensibiles fore, & cæterorum generum quodque. Quare cum astrologia vna sit horum scientia, erit & quoddam cælum præter hoc sensibile cælum, & sol, & luna, & cætera similiter quæ sunt in cælo. At quonam pacto his est credendum? nam neque immobile illud esse cõsentaneum est rationi, & omnino fieri non potest vt moueatur. Similiter & de his est putandum, circa quæ musica, mathematica, perspectiuæque versatur. neque enim ipsa præter sensibilia possunt ob easdem causas esse. nam si media sint sensibilia, patet & sensus & animalia, item formas, & res ipsas caducas continuo fore.

31 Præterea si quispiam præter formas & sensibilia res medias ponat, complures sane difficultates habebit. Postquam de ideis disputauit, transit ad ea quæ inter ideas & substantias sensibiles media dicuntur, hoc est ad mathematica, quæ istis substantias per se subsistentes esse placebat: quæ opinionem multis incommodis & difficultatibus implicari ait. Per hæc autem difficile factu esse docet aliam naturam præter sensibiles accipere. Explicat igitur difficultates quæ inde nascuntur. Nam quæ admodum per istos est linea quædam mathematica præter sensibilem, & ideam, de qua linea mathematica disputat geometria, sic cætera mathematica sese habebunt. Omnes enim mathematici quasdam medias naturas habebunt, de quibus edisserant. Cum igitur sit de numero mathematicarum astrologia, quæ de cælo, & sole, & luna, cæterisque astris edisserit, profecto horum quodque inter sensibile cælum, solem & lunam, cæteraque astra ipsasque ideas medium fuerit. At qui fieri potest vt sit mundus aut sol quidam mathematicus qui non moueatur, quoddamve aliud astrum? cum horum substantia & natura cum certo quodam motu sit, isti autem mathematica immobilia esse tradant. Nam solem & lunam moueri quidem, non tamen sensibilia, sed mathematica esse, absurdius dictu est, quam eadem astra immobilia esse. Fieri enim non potest, vt quicquam moueatur, quod materia careat, nec sit sua natura sensibile. Et quidem hoc incommodum ijs quoque obijci potest, qui cæli ipsi cælum ideam esse aiunt, & solis ipsi solem. Quomodo enim horum aliquod immobile valeas intelligere? Eadem est perspectiuæ in ea in quibus versatur ratio, harmoniæ item mathematicæ, seu musicæ. hæc autem est non quæ fidium cantus modulatur, quæ istis erga sensibilia versari videtur, sed ea quæ demonstrat in qua numerorum proportione cõcentus quisque consistat. Hæc enim est mathematica, quippe quæ in mathematicis versatur. Harum igitur eadem ratio est, atque astrologiæ. Omnes enim hæc cum mathematicæ sint, aliquas substantias mathematicas subiectas habebunt sensibilibus ac idearum medias. At qui fieri potest, vt aliqua sint aspectabilia, quæ non sint eadem sensibilia? de quibus perspectiuæ differit: vel aliqua sub auditum cadant, quæ sensum effugiant, de quibus musica. Nam esse perspectiuum, est de aspectabilibus differere: esse musicum, de ijs quæ auditu percipiuntur disputare. Hinc enim consequetur, quosdam medios esse sensus ab his diuersos, quibus media illa percipiuntur. Porro si sensus alij huiusmodi fuerint, haud dubie alia erunt animalia prædita illis sensibus, idearum mortaliumque animantium media, cum sensus absque animalibus consistere nequeant.

Inter ideas & substantias sensibiles media ne sint.

Perspectiuæ ui munus.

Dubitauerit autem quispiam & circa quas rerum has scientias quærere oportet. Nam si hoc geometria a facultate partiendi terras differt solum, quod hæc quidem horum est quæ sentimus, illa vero non sensibilibus: patet & præter medicinam, & cæterarum quoque facultatum, aliam quandam fore inter ipsam medicinam, & hanc medendi artem. At hoc qui fieri potest? Erunt enim quædam sana præter sensibilia, & ipsum etiam sanum. & insuper neque hoc verum est, facultatem inquam partiendi terras, sensibilibus esse magnitudinum, & quæ non vacant corruptione. Corrumperetur enim cum illæ intereunt. At vero neque astrologia, quæ est circa hoc cælum, magnitudinum sensibilibus erit: neque enim sensibiles lineæ tales sunt, quales esse geometria dicit. Nihil enim sensibilibus adeo est rectum, aut rotundum. Normam namque non puncto circulus tangit: sed vt Protagoras dicebat redarguens geometras, neque motiones reuolutionesque cæli similes sunt hisce, de quibus astrologia suas

rationes facit, neque puncta eandem naturam habent quam stellæ.

Dubitauerit autem quispiam, circa quas rerum has scientias quærere oportet. Quoniam isti dicebant mathematicas disciplinas in rebus sensibilium ac idearum medijs versari, quærit, circa quæ sensibilia sunt hæc media de quibus doctrinæ mathematicæ considerantur. Vt vero inquit, erga geodæsiam, id est partiendæ terræ doctrinam, geometriam esse aiunt, quæ ab ipsa non alio distet, quàm quod geodæsia in sensibilibus versatur, & horum mensuras in Aegypto inuenit ad regionem diuidendam, cuius pristini termini inundatione Nili confunduntur. Geometriam vero non versari in sensibilibus. Esse autem aliam quæ circa horum ideas versatur. Quemadmodum igitur res se habet in geodæsia, & geometria, sic vt in medicina sese habeat necesse est, sitq; medicina quædam quæ in sensibilibus animalium valetudine versetur, geodæsiæ proportionem respondens, alia vero intelligibilis ab ipsa diuersa, quæ media sit eius quæ de ipsius valetudine tractat, & eius quæ in sensibilibus valetudine versatur, geometriæ proportionem similis. quo fiet, vt sit valetudo quædam ab ipsius valetudine, & ab ea quæ in sensibilibus habetur, diuersa, intelligibilis, & in animalibus intelligibilis. Nam quemadmodum cum sit ipsi triangulus, & ipsi linea, sunt item sensibilia quæ geodæsia contemplatur, sunt tamen horum quædam media de quibus differit geometria. sic cum sit ipsius valetudo, sitq; valetudo quæ sensibilibus inest, in qua versatur medicina, erit tamen quædam harum media valetudo & medicina, cum ratio eadem sit. Quod si quædam valetudo & medicina media est, alia quoque salubria fuerint, quibus medicus ille consulat valetudini, ac proinde alia animalia, in quibus inest illa valetudo. Quod incommodum effugiunt, qui mathematica ex abstractione a sensibilibus intelligunt, nec propriam ipsis substantiam tribuunt. Nam non efficitur hinc, vt valetudo aliqua mathematicis proportionem respondens ex abstractione intelligatur. Neque enim substantia a corpore naturali licet cogitatione segregare. Dixit de medicina, pari ratione de cæteris artibus licet disputare. Nam cur hoc in geometria locum habeat, & ab alijs scientijs excludatur, causam redditam esse oportuit. Hæc ubi differuit, illud quoque in istorum opinione damnat, quod geodæsiam in sensibilibus versari arbitrabantur, geometriam in quibusdam alijs. Neque enim geodæsia de sensibilibus edisserit, cuius ea fides est, quod si sensibilia consideraret, cum ipsis interiret: quoniam necesse est, vt intereunte subiecto, pereat id quod in ipso versatur. Si enim id in quo versatur quidpiam perierit, necesse est vt illud quoque fuerit deletum, quod in hoc versabatur, cum esse illius consistat in eo quod versetur in hoc. Nunc autem nulla neque ars neque scientia intercidentibus his perit, ac proinde ne ipsa quidem terras partiendi ars, quam geodæsiam appellamus, quo fit, vt neque ea consideret, aut in ijs versetur, quæ sensibilia & mortalia sunt, sed vniuersale, quod est sempiternum. Omnis namque scientia omnisque ars circa vniuersale consistit, quod sub sensum non cadit. Neque enim si scientiæ artesque ad sensibilia descendunt, protinus in ipsis versantur, sed cum in vniuersalibus versentur, agunt quidem de sensibilibus, sed non qua sensibilia & hæc sunt, sed qua talia, quæ sunt communis participia. At si geodæsia non considerat sensibiles magnitudines, nihil est quod isti ab hac geometriam seungant, propterea quod ipsa intelligibiles magnitudines consideret, cum etiam geodæsia hæc eadem contempletur. Eadem ratione medicina non spectat sensibilem valetudinem, alioquin intereuntibus ijs in quibus versatur, ipsa quoque aboleretur. Deinceps ne astrologiam quidem de sensibilibus agere docet, vt de hoc cælo, de his altris. Nam licet hæc immortalia sint, ac proinde non secum intereuntia tollant scientiam quæ in ipsis versatur, hoc est astrologiam, docet tamen eandem non in his versari, sed in alijs, & horum substantiam per alia demonstrari. Nec enim tales sensibiles lineas licet accipere, quales in demonstrationibus astrologus sumit, quia nihil sensibilem ita rectum est. nam geometria pro astrologo dixit. Sed quales geometria lineas esse ait, tales astrologus ad astrologicas demonstrationes usurpat. Similiter nihil sensibile ita globosum est, aut circulare, vt geometria definit. Nam circulus sensibilis non tangit per punctum. At mathematici & astrologi globum atque circulum a plano per punctum contingi tradunt. Quamobrem Protagoras sumpto a sensibilibus argumento, geometras arguebat mendacij, docens nihil sensibilem esse tale, quale illi esse dicunt: dum ipse quoque ignorat geometras, vt alium quæuis artificem, non de sensibilibus disputare. Quid: quod ne motus quidem astrorum, ipsiusque cæli in orbem acti, vertiginisque tales sunt, quales ab astrologo sumuntur: quippe qui lineas, vertiginemque & circulum sumit, quæ sunt longitudines vacantes latitudine. & in his motus fieri ponit. In rebus autem sensibilibus nulla est longitudo, quæ latitudine careat. Præterea mathematici astra signa quædam, hoc est puncta esse, & signi rationem in cælo obtinere dicunt. At signum est, cuius pars non est, quale nullum astrum habetur. Si ergo in rebus sensibilibus ars nulla versatur, nimirum inter artes & scientias mathematicas id discrimen esse non potest, quod aliæ sensibiles substantias, mathematicæ vero intelligibiles quasdam considerent. vt enim hæc demonstraret, adiecit illa.

Sunt autem qui esse quidem inquit ea quæ media dicuntur inter formas ac sensibilia, non tamen seorsum a sensibilibus, sed in ijs ipsis esse, quibus omnia quæ eueniunt impossibilia recensere, longioris est sane orationis. Satis autem fuerit & talia contemplari. Non enim hæc solum ita sese habere consentaneum est rationi, sed patet

Geodæsia.
Geometria.

Omnis ars
circa vni-
uersale con-
sistit.

Astrologica
demonstra-
tiones.

Protagoras
contra
geometras

Signum.

& ipsas formas in sensibilibus esse posse. eiusdem enim sunt hæc vtraque rationis. Præterea duo solida esse eodem in loco necesse est, & non immobilia esse: quippe cum in sensibilibus sint, quæ quidem motu cientur. Omnino autem cuiusnam gratia quispiam esse quidem ipsa, in sensibilibus autem esse ponet: eadem enim absurda euenient & huic sententiæ, quæ & antecedenti. Erit enim quoddam cælum profecto præter hoc cælum: verum non seorsum, sed eodem in loco. quod quidem magis fieri nequit. De his igitur magna est dubitatio, quonam modo positis veritatem consequi possimus.

33 Sunt autem qui esse quidem inquirunt ea quæ media dicuntur inter formas & sensibilia esse, non tamen seorsum a sensibilibus. Postquam eos redarguit, qui mathematica substantias quasdam per se ab ideis & sensibilibus separatas esse tradebant, ad eorum sententiam refellendam transit, qui mathematica esse quidem aiebant per propriam quandam naturam, non tamen extra sensibilia esse, sed in ipsis. Quæ sententia hoc differt ab ea quæ mathematica ex abstractione sumi ac intelligi tradit, in qua ipse fuit, quæ illi mathematicis propriam quandam naturam diuersam a sensibilibus tribuunt, cæterum eadem in ipsis sensibilibus esse aiunt, quæ non sint aliquid ipsorum, sed in ipsis insunt, ab ipsis diuersa. qui vero ipsa ex abstractione sumunt, separantes ratione quadam ex sensibilibus, relinquunt omnia ipsa cum separatis tota sensibilia: quæ tamen separata ipsa per se sensibile naturam complere nequeant, neque in quodam interuallo intelligantur. Nam interuallum, quod in mathematicis intelligitur, cum ratione separatis passiuus sensibilis natura est. In vtrisque enim natura sensibilis est, quæ in subsistentia est per naturam. At istorum opinionem multo magis a ratione dicit abhorreere, quam eam quæ mathematica separata esse tradit. Sed plerisque incommodis, quæ hanc sententiam consequuntur, in præsentia silentio prætermittis, illud tamen apponit, quod efficitur eadem ratione, ut sint ideæ in rebus sensibilibus ponendæ. Si enim hæc cum substantiæ sint per se intelligibiles, in sensibilibus tamen habentur, cur ideæ, quæ substantiæ quoque intelligibiles sunt, non erunt in sensibilibus? Ratio enim subesse debet, cur hæc in sensibilibus insint, illa non item. Cæterum ex hac opinione multa euenire incommoda dixit in secundo libro, & in primo maiore meminit, cum sententiam Eudoxi refutaret, & in huius operis tertio decimo docebit. (Præterea duo solida in eodem erunt loco.) Mathematicum scilicet solidum, quod stereometria, id est solida metiendi doctrina considerat, & solidum sensibile, si illud est in hoc futurum. Corpus enim per corpus diffunditur, penetrabitque, si horum quodque per propriam naturam est, & alterum habetur in altero. Ad hæc mathematica non erunt immobilia, si in rebus sensibilibus insunt. Nam dum sensibilia mouentur, necesse est ut ea quoque moueantur, quæ in ipsis habentur, & ita moueantur, ut ipsa quæ in loco sunt, non ut accidentia: quoniam in magnitudine & interuallo perinde mouebuntur, atque corpora quæ vi ab aliquo cientur, non autem suo nutu. Ad summam, cuius gratia hæc esse dicere oportet, sed esse in sensibilibus? Nihil enim prodesse videtur ipsa in sensibilibus constituisse, siquidem per se sunt. Eadem nanque supradicta absurda his euenient, ea etiam quæ sequuntur illos qui mathematica separata faciebant. Erit enim quoddam aliud cælum per hos præter cælum sensibile, & pari ratione sol alius, aliaque astra: nisi quod non erunt separata per se, sed in his ipsis consistent, sol in sole, luna in luna, in cælo cælum. cui incommodo illud, ut dictum est, accedit, quod duo corpora erunt in eodem loco. De his igitur omnibus supra dictis non vulgarem quæstionem esse ait, quomodo ea ponendo veritatem assequamur, ac de ijs itidem quæ adiecit.

Mathematicorum substantia.

Stereometria.

Et de principiis etiam, vtrum genera elementa esse, principiaque putare oporteat, an ea potius ex quibus primis quæque res constat: veluti vocis elementa principiaque ea esse videntur, ex quibus primis voces componuntur, sed non vox ipsum commune: & designationum ea esse dicimus elementa, quorum demonstrationes in istarum aut omnium aut plurimarum demonstrationibus insunt. Præterea & qui vnum corporum elementum, & qui plura inquirunt esse, ea dicunt principia esse, ex quibus omnia corpora componuntur, & constant: ut Empedocles ignem, aquam, terram, ac aerem, elementa inquit esse: ex quibus constant quæ sunt, sed non ut genera ipsorum hæc dicit. Insuper si quis velit & aliorum cuiusque naturam inspicere, ut lecticam quibus ex partibus constet, & quonam pacto compositis, tunc ipsius naturam cognoscet. His igitur rationibus principia non esse genera rerum videntur.

34 Et de principiis etiam, vtrum genera elementa esse principiaque putare oporteat, an ea potius ex quibus insitis primum res quæque constat. Hæc quæstio in dubiorum quoque propositione commemorata fuit, quæ huiusmodi est: Vtrum genera & communia, principia & prima rerum poni debeant, an elementa ex quibus res constituuntur primum, & in quæ postremo resoluntur. quod exemplo vocum expli-

Empedocles.

cauit. Voces enim ex elementis, hoc est ex literis constituuntur. & ea ex quibus constituuntur, pro principijs habent, non autem vocem communem, quæ quidem vocum genus haberetur. sed neque in descriptionibus utimur communibus elementis, sed ijs quæ insunt in demonstrationibus. omnis præcepti demonstrationē * vt Euclidis elementa nuncupamus. Idcirco enim talia appellantur elementa, quoniam ea per quæ ista probantur, ad omnium præceptorum demonstrationes profunt, in omnibus existentia, & in his ipsis priora posteriorum elementa esse dicuntur, quoniam priorum demonstrationibus utimur ad posteriora. Idē præter ea ex his naturalibus auctoribus colligit, qui principia naturalia plura corpora, quæ vnum esse dicebant: docetque ipsos quæ principia rerum esse dicebant, ea cæteris inesse credidisse. Nam Empedocles qui quatuor corpora elementa rerum esse statuebat, non quasi genera elementa ipsa esse dicebat, sed quasi rebus quæ ex ipsis gignuntur, in existentia. Eadem est ratio cæterorum naturalium, qui principium corporeum ponebant. Quod ipsum artificiorum quoque probat argumento. Nam si quis velit lecticæ verbi causa naturam cognoscere, is vt partes ex quibus constat cognoscat necesse est. Nam ex quibus res queque consistit, ea sunt ipsius principia. a cognitione namque principiorum cognitio eius proficiscitur, quod ex principijs constat. Tunc enim horum quodque innotescit, cum ea ex quibus constat, & modus constitutionis intelligitur, ac proinde horum principia. Postquam vero inductione confirmauit, non communia & genera, sed ea quæ insunt, esse principia, deinceps verisimile tamen videri docet genera principia esse, his verbis.

At si vnumquodque quidem per definitiones cognoscimus, principia vero definitionum genera sunt, necesse est & definiendarum rerum principia genera esse.

Generis vocabulo differētias etiā intelligi.

At si vnumquodque quidem per definitiones cognoscimus, principia vero definitionum genera sunt.) Huius argumentationis ea vis est, ex quibus singula quæque cognoscimus, ea sunt illorum principia. Positum est enim ex elementorum ac principiorum cognitione, eorum quorum sunt elementa, cognitionem nasci. ex definitionibus autem rem quamque cognoscimus. definitiones igitur principia sunt. Assumptio enim generis, principium est definitionis. Sed fortasse cum genera dicit, differētias quoque intelligit, quemadmodum in Topicis, vt sit sensus, definitionum principia esse genera, quæ quidem sunt genus & differētia. ex his enim definitiones constituuntur: quo fit, vt genera sint principia. nam definitiones definitorum principia sunt, ipsarum vero genera.

• Et si ex eo rerum scientia sumitur, quia specierum accipitur, quibus res ipsæ quæque dicuntur, specierum profecto genera, eorum quæ sunt, principia erunt.

Singulorum non est scientia.

Et si ex eo rerum scientia sumitur, quia specierum accipitur.) Argumentatur in hunc modum. Scientia cognitioque rerum per species efficitur, cum singulorum scientia non sit. nam ipsarum definitiones per species redduntur. porro si ex earum cognitione rerum cognitio pendet, profecto species singularium principia fuerint, a quibus speciebus singula vt hæc aliqua sint mutuatur. Specierum autem genera sunt principia, quoniam ex horum partitione species euadunt, & ipsarum definitiones per genera redduntur. Genera igitur sunt omnium rerum principia. At singulorum cognitio per species quidem comparatur, quoniam ab speciebus suppetit esse singulis, non tamen per speciem quæ ex generis partitione nascitur, sed per eam quæ opponitur materiæ, pro qua sumit argumentatio illam quæ partitione generis euadit.

Videntur autem & quidam dicentium vnum ipsum, aut id quod est, aut magnū & paruum, principia eorum quæ sunt esse, his ipsis vt generibus vti.

Plato.

Videntur autem & quidam dicentium vnum ipsum, aut id quod est, aut magnum & paruum principia eorum quæ sunt esse, his ipsis vt generibus vti.) Vt doceat probabile videri, genera esse rerum principia, illorum producit testimonium, qui principijs eisdem utebantur. Nam qui vnum & ens, item magnum & paruum principia rerum esse statuebant, ij vt genera hæc rerum principia esse ponebant. In qua opinione fuit Plato. hic enim vnum, quod proprie ens appellabat, & dualitatem indefinitam, quam magnum & paruum nuncupabat, principia esse dicebat: quæ quidem vt entium genera accipiebat, cum vnum de singulis rebus dici animaduerneret, & inæqualitatem. qua enim res quæque hoc aliquid est, est autem huiusmodi per speciem, hac vnum & ens de ipso prædicabat. Quia vero subiectum in fluxu continenti ac mutatione dispiciebat, idcirco magnum & paruum. Hæc igitur communia sunt atque genera, & vt suprema genera per ipsum principia sunt.

At vero neque utroque modo principia dici possunt. Rationem namque substantiæ vnā esse constat: alia autem fuerit definitio, quæ per genera assignatur, & alia quæ sumit ea ex quibus res constat.

At vero neque utroque modo principia dici possunt.) Postquam quæstionem hanc, vtum genera an elementa potius debent principia existimari, in vtriusque partem disputauit, nunc ne vtriusque quidem dici posse ostendit, hoc est & genera & elementa principia esse. quæ argumentatio ad hunc modum

se habet. Assumit, definitionem qua substantia cuiusque rei explicatur, vnam esse. quod quidem in posterioribus resolutorijs demonstratum est. Nam esse cuiusque rei vnum est, ac proinde definitio vna est, a qua proprie hoc ipsum explicatur. Item sumit definitionem ex ipsis principijs confici, & principia rerum esse genera & elementa. Atque ait, Si ex principijs cuiusque rei definitio conficitur, alia erit definitio quae per genera redditur. Appellat autem genera, vt diximus, genera & differentias, aliaque per elementa: ac proinde eiusdem rei plures erunt definitiones. At plures esse non possunt, cum sit vna cuiusque rei definitio. non igitur vtraque sunt elementa.

Esse cuiusque rei vnum.

Insuper & si quammaxime principia genera sunt, vtrum generum prima putare oporteat principia rerum esse, an ea quae ultimo de indiuiduis praedicantur? Nam hoc suscipit controuersiam. Si enim magis vniuersalia principia sunt putanda, patet suprema generum existimanda eorum quae sunt, principia esse. Haec enim de vniuersis dicuntur. Tot igitur erunt eorum quae sunt, principia, quot sunt ipsa genera prima. Quare id quod est, ac vnum ipsum, principia atque substantiae erunt. haec enim maxime de vniuersis rebus dicuntur. At neque ipsum vnum, neque id quod est, genus esse potest. Differentias enim vniuscuiusque generis, & esse, & vnamquamque vnam esse, necesse est. fieri vero non potest, vt aut species generis de differentiis propriis, aut genus sine suis speciebus dicatur ac praedicetur. Quare si id quod est, aut vnum ipsum sit genus, nulla differentia, aut vnum aut ens erit.

- 63 Insuper & si quammaxime principia genera sunt, vtrum generum prima putare oportet principia rerum esse. Haec quoque quaestio pertinet ad supradicta: cuius hic est intellectus. Si detur concedaturque genera esse principia, oportet primum, inquit, fuerit, illud quaerere, vtrum suprema genera, & comunissima principia esse statuere conueniat, an vltima, & indiuiduis proxima, quae indiuiduae species nuncupantur. Nam hoc in loco species nomine generis appellat: quoniam si vniuersalia, quam non aequae vniuersalia, magis semper principia sunt (positum est enim vniuersale principium esse) consequens est, vt suprema, comunissima genera principia sint, ac proinde suprema genera rerum principia fuerint, & tot principia, quot fuerint prima genera. quibus assumptis infert, (Quare ens ac vnum ipsum principia erunt substantiae.) Quoniam haec maxime de cunctis praedicantur. Si enim haec de cunctis rebus quasi genera praedicantur, haec erunt principia causaeque rerum. pro causis enim substantias dixit. Quibus dictis, subiunctaque causa, quia si vniuersalissima & comunissima principia sint, ens atque vnum omnium rerum fuerint principia, cum haec comunissima sint, arguit deinde, docetque, neque ens, neque vnum entium esse genera. At si non sunt genera, haud dubie ne principia quidem fuerint. neque enim cunctorum idem sit principium, nisi ipsorum sit aliud quod genus commune. siquidem genus est principium. nam positum est genera esse principia, & generum quae comunissima sunt. Vt autem quibusdam videtur, sic hanc sententiam oppugnat, de qua paulo ante dictum est. Neque ens igitur, neque vnum genera esse, ad hunc modum ostendit: omnis differentia, quae genus diuidit, est vnum & ens, ergo vnius & entis differentia vnum est, atque ens. Si quidem haec genera sunt, & in ipsarum quaque est vnum & ens. At si in vnaquaque entis & vnius differentia, vnum est & ens, cum ens & vnum genera sint, genera de propriis differentiis praedicantur. quod fieri posse negat. Neque enim absque medio genus valeat de differentiis praedicari, hoc est sine specie. Sic enim genus bis de specie praedicabitur: itaque erit verum dictum, homo est animal animal rationale. nec rursus per mediam speciem. sic enim necesse est, vt species de differentia praedicetur. quomodo autem de propria differentia praedicetur, si differentia per se sumatur? Nam differentiae praedicatio latius patet, quam speciei, vt rationale aut mortale, quam homo. quod autem minus patet, de eo quod latius, non potest vere praedicari. Quamobrem dixit (de differentiis propriis) id est per quas in specie constituuntur. Praeterea species est quoddam totum, differentia vero pars totius. Itaque differentia est pars speciei, quoniam singula quaeque in definitione contenta partes sunt eius cuius complent substantiam, partes inquam dissimilares. Neque enim genus in definitione hoc significat, quod vnaquaque differentia. Huiusmodi autem totum de suis partibus non dicitur. Itaque neutra ratione species de propria differentia praedicatur. Nam genus non sic species pro partibus habet, vt pote cum in ipsius definitione non contineantur. Neque genera de propriis differentiis praedicantur, cum haec sine speciebus accipiuntur, neque in ipsis comprehenduntur species. Nam cum animal de rationali praedicatur, de animali rationali dicitur. sub rationali enim auditur animal. Neque praedicatur de ipsa differentia separatim absque specie sumpta, verbi gratia de rationalitate. Nam cum differentiae qualitates sint, quomodo animal quod substantiam compositam significat, de ipsis valeat praedicari? Neque enim species aut genera de differentiis praedicantur. quod si verum est, entis & vnius differentiae, siquidem haec genera sint, neque ens erunt, neque vnaquaque vnum, hoc est, nulla differentia ens erit aut vnum, quoniam omnes differentiae entis erunt. quod quidem est absurdum. quo fit, vt haec genera non sint, ac proinde ne principia quidem, si genera principia sunt. Quod vero ait, (Fieri vero non potest, vt species

Species, totum est: differentia pars totius.

Substantia
tā de sim-
plicib. q̄ de
compositis
substantijs
prædicatur

generis de differentijs proprijs dicantur ac prædicentur.) Huiusmodi est, fieri non potest, vt species appellata, de proprijs, hoc est de suis differentijs prædicentur. (Neq; genus sine speciebus.) id est vt genus de quopiam alio sine ipsius speciebus prædicetur. vel sic, vt genus de differentijs prædicetur, nisi differentiæ sumantur vt species, & composita seu tota. Caterum hæc argumentatio logica, hoc est probabilis solum mihi esse videtur, vt plurimæ quibus utitur: quoniam sub quocunque genere differentiæ statuatur (oportet enim ipsas ex genere aliquo esse) si quidem ipsæ de numero entium habeantur, necesse est vt de illius generis differentijs proprium genus prædicentur. Aut enim quod genus est, differentias non habet, aut ei quod diuidunt differentiæ, subiunguntur: quoniam si omnes differentiæ qualitati supponantur, non dubium est, quin ipsius qualitatis differentiæ subiungantur qualitati. & sic fiet, vt genus de proprijs differentijs prædicetur. Nam cæteras differentias qualitates appellare, qualitatis differentias non item, sed sub alio potius genere collocare, alienum est, & figmento simile. An igitur cuiusque generis differentiæ in eodem genere sunt, atque ipsum, id est in eodem prædicamento? Nam licet proximum aliquorum genus nõ prædicetur de differentiâ, quoniam hoc est totum quoddam, quod in solis substantijs vsu venit (est enim quædam substantia composita quæ de differentiâ simpliciter generis prædicari non potest) tamen genus superius, quod communius est & simplicius, prædicari potest. Substantia enim quod est genus commune, tam de simplicibus quàm de compositis substantijs prædicatur. Ita licet animal sit quædam composita conflataque substantia, ac proinde non prædicetur de differentiâ perse sumpta, tamen substantia de ipsa prædicabitur. Si ergo substantia de ipsa differentiâ animal diuidente prædicatur, satis profecto intelligitur, genus quod diuiditur, de ipsa differentiâ prædicari. Huiusmodi autem est ens, quod genus esse dicitur. Nam licet in quibusdam verû sit, genus de differentiâ non prædicari, propterea quod genus sit composita quædam substantia, non tamen est impossibile genus aliquod de ipso diuidente differentiâ prædicari. Nam quæcunque differentiâ sumatur diuidens substantiam, ea vt substantia sit necesse est. Quanquam genera non videntur de differentijs proprie prædicari propter nominis cõmunionem. Nā discretiuû differentiæ & in coloribus & in saporibus habetur, de ipsa tamen genus quale prædicatur: cui si proprium genus apponatur, species euadet. Sed postquam ostendit neque ens, neque vnum genera esse, id quod sequitur infert, (quod si non sunt genera, neq; principia erunt, si genera principia sunt.

Quod si non sint genera, neque principia erunt, si genera principia sunt. Præterea ipsa media cum differentijs sumpta, genera vsque ad indiuidua erunt: nunc vero alia videntur esse, alia non videntur. Insuper differentiæ magis quàm genera principia erunt. Quod si & hæc sint principia, infinita fere principia sunt, præsertim si quispiam primum genus principium esse ponat.

Præterea ipsa media cum differentijs sumpta, genera erunt) Hæc non tantum eo pertinent, vt ⁴⁰ prima genera principia esse, aut secus, ostendatur, sed vt omnino genera non esse principia doceatur. Essent enim infinita multaque rei cuiusque principia: quoniam vnaquæque differentiâ eorum quæ habentur in specie indiuidua, composita cum genere cuius est differentiâ, genus efficit. Nam genus quodque medium inter genus primum & speciem indiuiduam positum, cum propria differentiâ genus efficit, quanquam in quibusdam id fieri non videatur, quod genus ipsum proprio vocabulo careat. Hoc enim significatur verbis illis (Nunc vero alia videntur esse, alia non videntur.) Etenim animal volatile licet proprio vocabulo careat, genus tamen est perinde vt animal. Vel dicit (Alia videntur, alia non videntur) quoniam vt in primo de partibus animalium libro docuit, priuatiuæ tantum differentiæ cum generibus acceptæ non faciunt neque species, neque genera, vt quæ nihil definitum significant. Quod si verba in hunc sensum accipiantur, hoc dictum erit quasi incommodum consequens eorum sententiam, qui vnum & ens genus esse tradunt, & deinde generis bipartita diuisione species ac definitiones efficiunt. Oportet enim vt media quæ differentijs cum generibus compositis euadunt, genera eademque species sint. Hoc autem non accidit eis qui genera in duo partiuntur, præterea priuatione diuidere cogantur, at priuatiua differentiâ cum genere posita, speciem non constituit. Itaque multa genera multaque principia eorundem indiuiduorum sint. Si ens vnumque genera sint, & principia rerum (Vsque ad indiuidua) inquit, id est vsque ad vltimas species, quoniam hæc nullis amplius differentijs diuiduntur. Iam vero hac ipsa ratione differentiæ nihilominus quàm genera principia fuerint. Nam & ipsæ communes sunt, & de pluribus prædicantur. quod si differentiæ principia sunt, cum sint communia & genera, quæ cum differentijs sumuntur, vtique principia multa erunt, & propemodum infinita: præsertim si supremum genus vt principium accipiatur: quoniam generis huiusmodi plures sunt differentiæ. quod absurdum esse videtur. Nam qui genera principia esse statuunt, id dum putant multitudinem communis assumptione defugere, ipsum commune principium esse faciunt. quo in loco sic loquitur, quasi statuenti primum genus esse principium, cõsentaneum sit, alia quoque genera primo posteriora principia esse confiteri. Differentiæ vero quanquã latius quàm species ab ipsis confectæ pateant, non tamen de ipsis in quid est, neq; vt genera prædicantur.

Differentiæ
rū prædicatio

At vero si vnum ipsum magis rationem principii subeat, & id sit vnum, quod diuisionem non capit, atq; hoc omne aut specie aut quantitate sit tale, priusque sit id quod est specie tale, genera autem in diuisione species capiant, id erit magis vnum profecto quod vltimo prædicatur: homo nãq; non est, vt patet, ipsorũ singulariũ hominũ genus.

41 At vero si vnum ipsum magis rationem principij subeat.) Propositis supra rationibus quibus suprema genera principia entium esse videntur, nunc ostendere conatur species potius quàm genera esse principia. Nam si vnum principij locum obtinet, nimirum quod magis vnum est, id magis erit principium. Sed vnum magis diuidendum est. quod enim est indiuisum, indiuiduumve, id principium est magis, quoniam magis vnum est. Species autem quàm genus magis est indiuidua, magis igitur est principium. quod autem sit magis indiuidua, ad hũc modum ostendit. Quod diuisionem non admittit, hoc vel specie vel quanto est indiuiduum. Specie, si non amplius in speciem diuiditur; quales sunt species indiuiduæ. Quãto, si numero non diuiditur, cuiusmodi est vnum numero ac singulare. Nam horum quodq; cum vnũ sit numero, non amplius in multa numero sibi similia quantitate diuiditur. Nunc enim numero indiuiduum, quantitate indiuiduum appellat. Ex his autem indiuiduis prius est ordine atque natura id quod specie est indiuiduum, quàm quod per quantum, id est quàm indiuiduum quanto. Quibus extrinsecus commemoratis, deinceps genera in species diuidi docet, vltimas vero species indiuiduas esse specie, ac proinde species vltimas magis esse principia, cum magis vnum sint. Sed postquam docuit genera in species diuidi, ne quis ipsum indiuidua species dicere putaret, vt hæcenus dicebat, addit (homo nanq; non est singularium hominum genus.) de quibus prædicetur, & in quos diuidatur. Homo enim diuiditur, non tamen in species, cum genus non sit, sed sola indiuidua: genus autem & in species & in indiuidua secatur.

Species potius ne sint principia, quàm genera.

Præterea in quibus est prius atq; posterius, in hisce fieri non potest, vt id quippiam sit præter ipsa, quod de ipsis communiter prædicatur: vt si dualitas prima est numerorum, non est numerus quisquam præter species numerorum: similiter neq; figura præter ipsas species figurarum. Quod si horum genera præter species ipsas non sunt, multo minus cæterorum genera præter ipsas species erunt. Nam horum genera maxime esse videntur. in indiuiduis autẽ non aliud prius, aliud posterius est. Præterea vbi aliud præstabilius, aliud deterius est, id quod præstabilius est, semper est prius: quare neq; horum fuerit genus. Ex his igitur ea quæ de indiuiduis prædicantur, magis quàm genera principia esse videntur. At rursus non facile dictu videtur, quoniam modo hæc principia existimare oporteat. principium enim & causam præter eas res quarum est, principium esse oportet, & separari ab ipsis posse. Tale autẽ quid præter singulare cur quippiam esse existimabit, nisi quia vniuersaliter & de omnibus prædicatur? At si ob id ipsum putandum est quippiam principium esse, ea sane quæ magis vniuersalia sunt, magis principia sunt ponenda, quare prima genera principia erunt.

42 Præterea in quibus est prius atq; posterius, in his fieri non potest, vt id quidpiam sit præter ipsa quod de ipsis communiter prædicatur.) Hoc quoq; pertinet ad probandũ, vltima genera, id est, species indiuiduas, potius esse principia, quàm suprema & cõmunissima genera. Genera enim quæ de speciebus prædicantur, nihil omnino esse præter species de quibus prædicatur, ad hunc modum ostendit. In quibus est prius & posterius, in ijs quod communiter prædicatur, vt genus, nihil aliud est, quàm ea de quibus prædicatur. Exempli gratia, si numerorum prima est dualitas, vel trinitas, nulla est numeralia natura præter dualitatem & trinitatem, cæterosq; numeros de quibus genus prædicatur. Similis est figurarum ratio. quod enim de figuris communiter prædicatur, vt figura de triangulo & quadrato, nihil est aliud quàm hæc ac cæteræ figure, quoniam in his primum est triquetrum, deinde quadratum, & cætera quæ ordine sequuntur. Hoc autem sumit vt placitum illorum, id est Platonis

Platonico-
rũ placitũ.

corum. isti enim suprema genera, id est vnum, & ens, & magnum & paruum principia rerum esse statuebant. Nam in quibus prius & posterius habetur, in his commune nihil esse dicebãt præter ea de quibus prædicetur. quam ob rem ne ideam quidem horum haberi, vt refert cum alias, tum in primo Ethicorum Nicomachiorum. Sumens autem ex istorũ opinione in his nihil esse commune præter ea ex quibus prædicantur, vt in numeris & figuris, ipse addit: (Quod si horũ genera præter species ipsas non sunt, multo minus cæterorum genera) hoc autem dicit vel quasi sit in cunctis generibus aliquid prius & posterius, & quædam media differentia tum in supradictis, tum in alijs generibus: vel quia cum hæc perinde genera sint vt illa, si in illis quæ maxime genera esse videntur, commune nihil est aliud quàm ea ex quibus prædicatur, ne in alijs quidem fuerit, etiam si prius & posterius in ipsis non habeatur. Idcirco autem maxime videntur & genera & principia esse, quoniam numeri & figuræ maxime entia ipsis esse videbantur, quorum genera maxime esse deberent. Præterea si

Generibus
in cunctis
prius & po-
sterius esse.

gura de figuris, de numeris numerus, haud dubie ut genus videtur predicari. Si ergo in his commune non est principium, ne in alijs quidem fuerit. Quod si nihil est commune, genusque praeter species de quibus praedicatur, principium erit certe. Sed species quae de indiuiduis dicuntur, potius erunt principia, quoniam in indiuiduis non est aliud prius, aliud posterius, ut species quae de ipsis praedicatur, nihil aliud quam indiuidua esse videatur. Porro si in figuris & in numeris neque figura neque numerus communis principia sunt, sed triangulus singulorum triangulorum, dualitas dualitatum, eadem erit in caeteris ratio, eruntque principia species indiuidue, non genera communia. Praeterea in cunctis generibus prius & posterius esse docet. Est enim prioris vnus modus, quo melius prius esse dicitur, ut in praedicamentis docuit in diuisione prioris. Cum igitur in cunctis generibus quaedam species melior sit, altera peior, efficitur, ut non genera, sed species potius indiuidue principia sint: quoniam indiuiduorum his subiectorum non est alterum altero prius. Caeterum in hac quaestione vsus est prioris aequiuocatione ad ostendendum genus nihil esse praeterquam ea ex quibus praedicatur. Nam in genere animalium hoc melius est, illud peius. Deus enim melius est, ac proinde prius. Rursus inter caetera omnia animalia homo melius est, & prius. In coloribus itidem album caeteris est melius, in saporibus dulce. Haec effatus, ad confirmandum species potius & vltima genera, quam communissima & generalissima principia esse, infert. (Ex his igitur ea quae de indiuiduis praedicantur, magis quam genera principia esse videntur.) Deinde rursus species indiuiduas principia esse non posse arguit, in hunc modum. Cuiusque rei principium & causa, ut a re ipsa cuius principium & causa est, diuersum sit, & sine ipsa esse valeat necesse est. Separatum autem per se nihil nisi singulare consistere potest. nam si quis hoc tribuat speciebus, quoniam vniuersaliter de omnibus sibi subiectis indiuiduis praedicatur, cum praedicatum diuersum ab ipsorum singulis sit, ac idcirco has principia esse dicat, mirum eadem ratione suprema genera potius quam species principia esse reperientur: cum sint magis communia, & de pluribus praedicentur: quanquam huiusmodi rationes probabiles admodum & persuasivae sunt, & a demonstrandi necessitate alienae.

Est autem post has alia dubitatio, ac omnium difficillima, & ad contemplandum maxime necessaria, qua de nunc erit oratio. Nam si non sit praeter singularia quicquam, ipsa vero singularia sint infinita: qui fieri potest, ut infinitorum accipiatur scientia? Quo namque vnum quid est in vniuersis & idem, & quo quippiam vniuersaliter competit, hinc vniuersa cognoscimus. At vero si hoc sit necessarium, & praeter singularia aliquid esse oporteat, genera profecto praeter singularia necesse est esse aut vltima, aut prima: hoc autem impossibile esse, nuper ostendimus dubitando.

Singularis
cognitio
vnde sit.

Est autem his proxima dubitatio, ac omnium difficillima, & ad contemplandum maxime necessaria: qua de nunc erit oratio.) Difficillimam esse ait quaestionem hanc, & cuius explicatio maximo ad principia cognoscenda, & omnino ad propositam doctrinam vsui futura sit. quae quidem ab his pendet, quae paulo ante de generibus & speciebus dicta sunt, cohæret autem proximae quaestioni, quoniam in illa ex communibus inquisiuimus, vtrum quod communius est, an quod indiuiduis est propinquius, principium esse putari debeat: ac deinde quoniam principium separari, ac per se consistere posse conuenit, nullum illorum principium esse concludimus: nunc vero quaeritur, vtrum commune hoc, quod speciem & genus appellamus, quidquam sit praeter singularia & indiuidua, an secus. Et si nihil esse statuatur, incommoda quae sequantur docet. Ac rursus: si quis contra putauerit, difficultates euenientes ostendit. Si ergo nihil est praeter singularia, cum haec infinita sint, scientia profecto de medio tolletur: cum fieri non possit, ut infinitorum cognitio scientiaeque & comprehensio fiat. Nam singularium cognitio scientiaeque idcirco habetur, quoniam vnum quidpiam & idem in cunctis ipsis inest: vti quoniam de ipsis vniuersale quidpiam communiter praedicatur. quod si nullum sit, ne cognitio quidem vlla ipsorum effici potest. At si scientia est & cognitio, consequens est omnino, ut quidpiam commune sit, a singularibus diuersum, quo scientia & cognitio content. hoc autem est genus, vel vltimum, quod proprie species appellatur: vel primum, quod genus dicitur. Quod autem horum nullum sit, dudum, inquit, differuimus, relegans nos ad illum locum, ubi an species principium esset, disputauit. Dixit enim principium & causam a rebus quarum est causa, diuersum esse oportere, & ab ipsis separari posse. Tale autem quid, inquit, praeter singulare quisquam esse existimabit. quin & paulo ante, quod de quibuspiam communiter praedicatur, ab ijs de quibus praedicatur, non esse diuersum ostendisse videtur, qui cum hoc in figuris & numeris constare docuisset, quoniam in ipsis est prius & posterius, intulit, quod si in his non habetur commune quidpiam a singularibus diuersum, ne in alijs quidem habebitur. Nam si esset, in his potissimum esset.

Praeterea si quam maxime quippiam sit praeter totum ipsum, cum de materia quippiam fuerit praedicatum, vtrum praeter omnia quippiam esse oporteat, an praeter aliqua quidem esse, praeter aliqua vero non esse, an praeter nulla omnino? Si igitur nihil omnino praeter singularia sit, nihil intelligibile profus, sed omnia sensibilia erunt, & nullius

est scientia, nisi quae
nihil immo
hi perpetuum sit
et ex quo sit, ut
fieri quocumque
Praeterea si
praedicatum
singulare & vniuersale
tunc, vel figuratum
dicatur, hoc est
corpus efficitur
dicitur. Est autem
quod materia quae
sunt genera & species
sive haec materia
in quibusdam, in quibus
(an praeter omnia
lenius vniuersum
nisi loco dicitur, an
singulare nihil sit
sunt. Huiusmodi enim
habet in singularibus
sunt vniuersum
proinde cognoscitur
in immobilibus. Sed
probabilis est, &
quod Platoni per
tura inuenitur
quidem naturae
ire posse, quippe
probabiliter arguitur
fluxu placet
fore temporum
se potest. Nihil
esse, si sciam. An ex
generationem
libera sit, per se
tu, ad hunc modum
sunt efficiunt. An
vnde sit, quippe
no generatur quod
tu. hoc autem est
na enim huiusmodi
vniuersum, vel
materia prima. An
mus, quippe in
scilicet, quippe
nihil quodpiam
si generatur
non tamen tu
fieri potest. Quod
quod quidem
causa esse videtur
re, vel generatur
igitur quod nihil
ram vniuersum est
fi. In operibus
no generatur, ne
suscipiens tempus
Praeterea si g

erit scientia, nisi quisquam sensum scientiam dixerit esse: & insuper nihil erit perpetuum, nihil immobile. sensibilia enim intereunt vniuersa, suntque in motu. Quod si nihil perpetuum sit, neq; generatio esse potest. Neesse est enim aliquid esse id quod fit, & id ex quo fit, atque horum vltimum ingenitum esse, si statur. & ex eo quod non est, fieri quicquam non potest.

44 Præterea si quammaxime quidpiam sit præter totum ipsum, cum de materia quidpiam fuerit prædicatum. Totum appellat singulare & sensibile, ac ex materia & forma compositum. hoc enim singulare & confusum magis solet appellare. Illud vero, cum de materia quidpiam fuerit prædicatum, vel significat totum & compositum, tunc enim aliquid totum est, cum aliquid de materia prædicatur, hoc est, cum in materia efficitur, quod quidem est forma, nam materia cum formâ excipit, corpus efficitur. aut materiam nunc dicit subiectū: quod totum appellauit, cum aliquid de ipsis prædicatur. Est autem sensus, si vniuersale, hoc est genera & species, hæc enim sunt quæ de substantia quasi materia quæ indiuidua est prædicantur, quidpiam esse detur diuersum ab ijs indiuiduis quorū sunt genera & species, vtrum hæc vniuersalia præter cuncta indiuidua sint, vt in cunctis indiuiduis siue hæc naturalia sint, siue artificiosa, quidquam commune diuersum ab ipsis habeatur, an non, nisi in quibusdam, in quibusdam vero secus. Hęc effatus, quæ positionē hanc consequuntur, illud infert, (an præter nulla omnino) quod ipsam demolitur. Si enim nihil commune reperiatur, quod a singularibus seiunctum esse possit, ne fuerit quidem aliquid præter singularia. His adiectis, ab eo quod vltimo loco dixit (an præter nulla omnino) exorditur, & incommoda docet quæ sequuntur, si præter singularia nihil sit omnino commune. Fiet enim vt nihil sit intelligibile, sed omnia etiam sensibilia sint. Huiusmodi enim est quod ait, (tota & composita) præter quæ nihil esse positum est. quod si nihil est intelligibile, ne scientia quidem cuiuspiam fuerit, cum in communibus quæ intelligibilia sunt, scientiæ verentur: nisi si cui libeat sensum scientiam appellare, tunc enim omnia essent scibilia, ac proinde cognoscibilia scientiā nō proprie dicta. His adiungit, (Et insuper nihil erit perpetuum, nihil immobile. Sensibilia enim intereunt vniuersa, suntque in motu) id est in fluxu. quæ argumentatio probabilis est, & secundum eos procedit, quibus sensibilia omnia nasci, rursusque interire videntur: quod Platoni potissimum placebat: qui etsi mundum non interiturum esse statueret, sua tamen natura interitui obnoxium esse censebat, præsertim cum esset consentaneum, vt sit mortalis, quando quidem natiuus existat, quoniam Platoni cuncta sensibilia moueri videbantur, at non eadem interire posse, quippe qui omne circumlatum corpus ab ortu & interitu vendicabat. Sed, vt dixi, nunc probabiliter argumentatur. Quibus enim cuncta sensibilia materiam obtinere, & esse in continenti fluxu placet, ijs eadem interire apta esse videntur. Sed vbi collegit, si nihil sit præter sensibilia, nihil fore sempiternum, addit velut huic consentaneum, (Quod si nihil perpetuum sit, neq; generatio esse potest. Neesse est enim aliquid sit id quod fit, & id ex quo fit, atque horum vltimum ingenitum esse, si statur. & ex eo quod non est, fieri quidquam non potest. Docens si nihil fuerit sempiternū, nec generationem certe fore. & si non generatio, neq; generabilia, neq; sensibilia. Quo fit, vt si sola sensibilia sint, ne sensibilia quidem sint futura. Quod autem sempiterno sublato, generatio quoque tollitur, ad hunc modum ostendit: si aliquid generatur, neesse est esse & id quod fit, hoc est id quod nascens efficitur, & ab hoc diuersum id ex quo efficitur. Exēpli gratia, si homo generatur, neesse est vt sit esseque possit id quod homo efficitur, hoc est homo qui fieri dicitur, ac illud itidem ex quo homo generatur. quidquid enim fit, ex non tali quopiam efficitur. nam si hoc esset, vtiq; non efficere tur. Hoc autem est subiectū, & materia scilicet horum subiectorum ex quibus orta efficiuntur. proxima enim subiecta cōplura sunt, quoniā proximorum subiectorū alterū alteri subijcitur. horū igitur subiectorum, vt vltimum subiectum sempiternum sit, neesse esse docet. Est autē vltimum subiectū materia prima. Resoluentes enim proximas rerum generandarum materias, in illa vltima consistimus, quam ex necessitate sempiternam esse eo demonstrat, quoniam nisi siquod vltimū fuerit subiectum, ex quo generatio fiat, duorum alterum cōsequetur, aut aliud ex alio in infinitum fiet, aut ex nihilo quidpiam efficietur. quorum neutrum effici potest. quodcunq; enim subiectum proponatur, id si genitum fuerit, vel ex alio subiecto genitum sit neesse est, vel ex nō ente, si genitum quidem est, non tamen ex subiecto. At neutro modo fieri potest. Nam neq; ex nō ente vt quidquam efficiatur, fieri potest. Omnium enim quicunq; de natura aliquid dixerunt, consensus est, ex nihilo nihil fieri. quod quidem absurdum esse dictū, & fieri non posse, in cōfesso est, neq; in infinitū alterum alterius causa esse valet, & aliud alij in rectum subijci, vt in superiore libro docuit. quod si neutrum fieri potest, vel generatio penitus tolletur, vel primum subiectum sempiternum & ingenitum erit. Ex eo igitur quod nihil sit sempiternum, efficitur vt ne sit quidem generatio. Potest etiam illud, Atq; horum vltimum esse, non de materia tantum dictum esse, quæ est id quo fit, sed etiam de eo quod fit. In operibus enim naturalibus simile a simili fieri videtur, vt hominem ab homine. quare si homo generatur, neesse est vt homo sit, efficiens videlicet, & generans. At in his necessarium est vt sit efficiens sempiternum.

Præterea si generatio sit & motus, & finem esse neesse est. neq; enim infinitus vllus

Plato mundū non interitū statuens, sua tamen natura interitui obnoxium statuebat.

Perpetuo sublato, generatio quoque tollitur.

Subiectum vltimū, materia prima

est motus, sed motionis omnis est finis, & impossibile est id fieri quod factum esse non potest. ipsum vero factum necesse est esse, cum primum est factum.

Præterea si generatio sit & motus, & finem esse necesse est.) Hæc quoque argumentatio eo pertinet, ut generationis principium, quod est primum subiectum, ingenitum esse appareat, & non aliud ex alio in infinitum fieri. Cuius argumentationis hæc est vis, Si omnis & motus & generationis est finis, principium quoque ipsorum habetur. Nam cuius finis habetur, huius ut principium habeatur est necesse: quoniam si sublatum fuerit principium & motus, generatiove in infinitum ascendat, ne finis quidem ipsorum reperietur. omnis autem generationis & motus finis est. quod assumpsit, dicens: (Neque enim infinitus ullus est motus) quod alio in loco demonstratur, cum omnis motus habeat unde, & quo. Nam quod augetur, aliquem terminum habet accretionis, cui similis est altera scilicet intereuntis ratio. Ut igitur omnis motionis finis reperitur, sic & generationis. Nihil enim fit, quod fieri non potest, ut demonstratum est. nam quod fieri non potest, id ne efficitur quidem, ut diameter non fit commensurabilis, quoniam fieri non potest. Est autem impossibile ut aliquid generetur, quod generationis finem non habeat, sed absque fine generetur. quare prorsus non generatur. quod igitur generatur, id generari potest. quod vero generari potest, id nihil obstat quo minus generetur. Caterum quod factum est, id ut sit necesse est, cum primum factum est. Nam quod factum est, cum est, iam fieri definit, ut libro physici auditus sexto demonstratur. quod si est, cum primum est factum, omnis profecto rei generandæ finis habetur. Huc enim pertinent verba illa (ipsum vero factum necesse est esse, cum primum est factum.) quo fit, ut omnis motus, omnisque generationis finis inueniatur, ac proinde non aliud ex alio sine fine generetur. Est igitur aliquod extremum subiectum sempiternum. Quamquam hæc argumentatio obscura esse videtur, propterea quod consequens illius, motus & generationis esse finem, subicitur: quod esset: quorum finis est, eorum principium etiam habetur. Sed ab Aristotele prætermisum est, quasi dubium esse non posset, quin sequeretur. qui satis habuit demonstrare, omnis motus ac generationis principium haberi. Nam & motus circularis finem habet, cum ab eodem in idem fiat. cuius ea est infinitas, quod rursus idem motus reperitur, non quod iam vnus, tum alius efficiatur.

Nihil generatur quod finem non habeat.

Motus circularis finem habet.

Præterea si materies est ex eo, quia ingenita est, multo magis etiam consentaneum est rationi, substantiam esse, quando ut hæc sit illa existat. Nam si neque hæc erit, neque illa, nihil penitus erit. Quod si hoc fieri nequeat, necesse est aliquid esse præter ipsum totum, speciem inquam ipsam, ac formam. At si quispiam id posuerit, dubitatio rursus existit, in quibus hoc ponet, & in quibus non ponet. nam perspicuum est in vniuersis esse non posse: non enim domum aliquam præter singulares domos esse ponemus.

Præterea si materies est ex eo, quia ingenita est, multo magis etiam consentaneum est rationi substantiam esse. Demonstrato esse extremum quoddam sempiternum subiectum, hoc enim significauit illis verbis: (Præterea si materies est ex eo, quia ingenita est.) nisi enim tale quoddam sit, generatio esse non potest: nam si materia procedat infinite, ex materia nihil fiet, quia ipsius alterius ex altera generatio nunquam cessat, excludente materia quæ ex alia nondum genita generari debeant. Demonstrato igitur primum subiectum ingenitum esse oportere, nec aliud ex alio in infinitum gigni demonstrato, nunc formam quæ gignitur in materia sempiternam esse conuenire docet. Quibus ostendit, confirmatque quandam esse substantiam solitariam, sempiternam. Si enim est natura materiam, probabilius profecto fuerit, ut substantia sit hæc quæ a materia excipitur. hoc namque innuit, cum ait (quando illa fit.) formam vero substantiam appellat, quoniam id substantia est, quo rei suppetit esse. Nam materia cum formam excipit, præbet quod efficitur ex ipsa factum, id est, quod excipitur & fit. Quod igitur sit probabile formam sempiternam præexistere, quam excipit materia, ostendit ad hunc modum. Quæmadmodum sublato subiecto effici nihil potest, sic nisi id fuerit, quod a subiecto excipitur, generatio esse non potest. quod illis verbis significat: (Nam si neque hæc erit, neque illa, nihil penitus erit) cuius sensus est: Nisi utraq; sempiterna sit, materia scilicet, & forma, nihil omnino efficietur. hunc autem sensum esse innuit, dicens (necesse est aliquid esse præter ipsum totum, speciem inquam ipsam & formam.) quo in loco totum appellat compositum & sensibile quod factum est. Cum autem vtrunque eorum ex quibus totum conficitur, hoc est materiam & formam esse oportere dixisset, ait enim: si neque hæc erit, neque illa, id est neque materia neque forma, nihil penitus erit: subiunxit, (quod si hoc fieri nequeat) id est, si fieri non potest, ut nihil penitus sit necesse est, ut præter totum, id est præter compositum, quod est forma in materia, forma sit atque species. Merito autem vereque ut materiam, sic item aliquam formam sempiternam esse oportere sumit: neque hoc formæ quæ in materia generatur, tribuit, ut sempiterna sit, sed formæ efficienti, quæ si similis sit efficienti, efficiens ut præexistat consentaneum est. qua argumentatione ubi necesse esse collegit, ut forma perinde atque materia præexistat, ut ex ipsis præexistentibus totum compositumque generetur, illud disputat, quod huius quæstionis initio differendum proposuerat, cum dixit: Præterea si est, utrum præ-

Forma que gignitur in materia, an sempiterna præexistat.

45

46

ter omnia quidpiam esse oporteat? Si quis enim formam quæ in materia gignitur, præesse, ac sempiternam esse statuerit, in quibus entibus, aut in quibus rebus efficiendis formam sempiternam præesse dicet? & in quibus secus? Nam in cunctis dicere, apertum est mendacium, quod artificiosorum documento declarat, in quibus absurdum dictu est, formam quæ ab artifice in materia conficitur, præfuisse, ac sempiternam esse. Quamquam hæc de ideis quoque dici & quæri possunt. Sed & simpliciter de materiali forma dicta esse accipi possunt secundum quæstionis consecutionem.

Et insuper erit ne omnium, ceu hominum, substantia vna? at absurdum est. Nō enim vnum sunt omnia, quorum est substantia vna, sed multa ac differentia. at & hoc metas rationis egreditur. Et simul quonam pacto materies fit tādē horum vnumquodque, & est totum ipsum hæc ambo?

47 Et insuper erit ne omnium ceu hominum substantia vna? at absurdum est. Non enim vnum sunt omnia, quorum est substantia vna.) Quærit præterea, si formæ, vt materia, præexistentes habentur, vtrum vna numero forma est, & vna cunctorum hominum substantia, an plures, totidēque, quot singuli homines. Nam si cui vnam esse placuerit, utique vnus homo ex materia generabitur, quæ formam illam susceperit. Tot autem esse, quot singulos homines, nulla ex parte probari potest. Nam formæ illæ humanæ sumptæ sine materia, quo discrimine inter ipsas distabunt? singulorum enim hominū inter se differentia materiales sunt. Ad hæc, materia inquirat quomodo has præexistentes formas, vel vtrunq; formas excipit. Ad summam, quomodo formæ coniunguntur cum materia, & quomodo fiunt & sunt singula sensibilia, quæ ex his ambabus constantur, vtrum his simul positis, an temperatis, an confusis. Et quomodo materia excipiens formas, efficitur ea quæ efficitur: quæ quidem alio in loco sunt ab ipso disputata, dum quæreret, quid formam in materia in vnum redigeret, contineretque, vbi dixit materiæ potētiam esse causam vt forma accipiatur, & maneat in ipsa materia, quæ in id mutatur, in quod prius potentiam habebat, præexistente videlicet quapiā efficienti causa.

Præterea de principiis & hoc quispiam dubitabit. nam si specie sint vnum, nihil erit numero vnum, neque ipsum vnum, & id quod est. Atque quonam pacto scientia fuerit, si non erit quidpiam in omnibus vnum?

48 Præterea de principiis & hoc quispiam dubitabit. Nam si species sint vnum.) Hæc quæstio consequens est illius, vtrum species vna sit numero, an plures. Quamquam ad ideas referri potest, quoniam niam adiungit ipsiens, & ipsiunum. Aut fortasse de principiis communiter edisserit. Principia enim proprie entia sunt. quocirca ipsis appositum illud ipsi. Communiter ergo dubitatio, potest etiam subiectis vocatis convenire. Quærit autem de principiis, siue ea vnū cuiuspiam esse placeat, siue plura, vtrum eorū quodque vnū sit specie, an numero. Verbi causa, si materia vna est, sit ne vna numero, an specie: & si est vna forma, vtrum vna numero sit, an specie. Nā si principiorū quodque vnum est specie, multa vero numero, in principiis, inquit, rerū efficiendarū nihil erit vnū numero. At si nullū principium vnū numero fuerit, ne compositorū quidē ex principiis quodpiā, vnū numero fuerit. Siquidē quæ ex vno non numero, sed specie constant, ea vnū specie sunt, non vnū numero. Nā si quæ ex vno numero constituitur, vnū numero sunt, haud dubie quæ non ex vno esse habent, perinde atque illa habebunt esse. Cui vt consequens incommodum adiungit, neque ipsiunum, neque ipsiens vnū fore numero, quæ in principiis habebant in quibus ideas principia esse placebat. Quod si ipsiunum non est vnum numero, huius autem communiōne omnia sunt vnum, efficietur vt cæterorum quæ ad illius exemplar esse habent, nullum vnū numero sit. Nam quæ vni specie assimilata sunt, ea perinde atque illud vnum habebunt. nihil igitur vnum numero erit, si quæ ad exemplar fiunt, ea nec vnū numero sunt, neque ipsum ipsiunum, nec vllum aliud principium. Deinde scientiam quampiam fore negat, si nihil vnum numero fuerit: cum scientiæ fiant, quoniam vnū aliquod in pluribus accipitur, vt paulo ante dixit. per commune enim scientiæ conficiuntur, quod commune vnum esse numero demonstratur. Neque enim vt quæ communi subiiciuntur, eadē specie vel genere sunt, sic commune ipsum, species generis vnū erit specie, aut genere. Alioquin sine fine procedetur. Nam si animal sit vnum, hoc ipsum vt vnum sit habens per speciem communem, quemadmodum quæ per se sunt animalia, per speciem sunt vnū, illud quoque erit multa numero, & sic absque fine procedetur. At communiū quodque vnū numero est. Quod si scientiæ eorum sunt, quæ vnum numero existunt, numero autem vnum nihil est, siquidem principia vnum specie habent, sit vt scientia penitus tollatur. Si quis enim dicat in principiis vnū numero esse, quoniam vnum esse specie ponebatur, is dicere possit principia non habere vnum specie. Nam species illa, quæ est vnum numero, magis est principium ipsarū quæ ipsi subiiciuntur, neque amplius est vnum specie, sed numero. Præterea nihil eorum esse potest vnum specie, quorum non est species aliqua communis vna numero. Multa enim si aliquid habeant inter se commune, quæ non sunt vnū numero, non erunt eadem specie. Quamquam illud, (At quonam pacto scientia fuerit, si non erit quodpiam in omnibus vnum?) quasi in eos qui ideas asserbant, dictum esse accipi potest, qui aliter scientiam fore negabant, quam si ideas asserantur. Sensibilia enim infinita esse, & in continuo fluxu, ac

Principia,
pprie en-
tia sunt.

Scientiæ
quomodo
fiant.

proinde non esse scibilia. Sed præter sensibilia & singula ideam vnam numero, quæ in pluribus sumeretur, immobilem ac sempiternam scientiæ causam fieri. quod ipsum corrueret, nisi ideæ vnum numero haberent.

At vero si numero sint vnum, & vnūquodq; principiorum sit vnum, & nō vt in sensibilibus alia aliorum, vt huius syllabæ, quæ est eadē specie, & principia sunt eadē specie: nam hæc numero sunt diuersa. Si igitur non hoc pacto, sed numero sint vnum ipsa principia rerum, præter elementa sane nihil aliud erit. nihil enim refert, vnū numero, an singulare dicatur. sic enim dicimus singulare, quod vnū numero est, vniuersale autē quod in his est cōmune: quēadmodū si elementa vocis in numero definito essent, necessarium esset tot omnes literas esse, quot elementa essent, quippe cum non essent eadem nec duo nec plura hisce quæ sunt, in ipsorum numero.

At vero si numero sint vnum, & vnūquodq; principiorum sit vnum.) Postquam docuit incō-
 modum quod inde sequeretur si quis principia vnum esse specie diceret, nunc vicissim argumēta-
 tur fieri non posse, vt principia vnum numero habeant. Sed omnem orationem accommodat ad ea
 principia quæ quasi elementa nuncupantur, ex quibus quæ fiunt, compositione constituuntur, vt fit
 in elementis. Docetq; si huiusmodi principiorum quodque vnum numero sit, res non plures fore,
 quàm principia. Nam quemadmodum syllabæ specie eadem inter se, numero autem infinite fiunt,
 quoniam elementa ex quibus constituuntur, quæ specie sunt eadem, numero infinita sumi possunt,
 sic nisi elementa multa numero fuerint, sed a & b exempli gratia vnū sint numero, necesse erit syl-
 labam quæ ex ipsis constituitur, vnam fieri numero. Neq; præter ba syllabā vllam aliam licebit ac-
 cipere, si b vnum sit numero: quia si b vnum numero est, non potest esse in alia syllaba, quàm in ba.
 Vt igitur res in syllabis & literis sese habet, quæ syllabæ plures esse non possunt quàm literæ, si li-
 teræ vnum sint numero, sic item, inquit, in rebus habebit, si ipsarum principium quodq; vnū sit nu-
 mero. quid autem sit vnum numero, declarat, aitq; esse singulare quid, item vniuersale & commune
 esse dicit, quod in singulis accipitur, hoc est speciem & genus. Cæterū cum dixisset, (vt igitur si ele-
 menta vocis in numero definito essent, necessariū esset tot omnes literas esse, quot elementa essent)
 non reddidit id, sic in entibus ipsarumq; numero se res habebit, nihil enim aliud erit præter elemē-
 ta, id est, non erunt plura entia, quàm elementa, sed hoc quasi haud dubie sequeretur, inferre omi-
 sit. Nam si terra & singula quatuor elementa vnum sint numero, & hæc in certo quodam corpore
 absumantur, haud dubie ex his corpus aliud effici non posset. Veruntamen hæc argumentatio admo-
 dum est dialectica, & a necessitate concludendi aliena.

Principia
 vnū nume-
 ro non ha-
 bere.

Nulla autem dubitatione inferior dubitatio ab hisce qui hac tempestate sunt, & a prioribus est omissa, vtrum eorum quæ intereunt, & eorum quæ sunt expertia corruptionis, eadem an diuersa principia sint. Nam si eadem sint, quonam pacto, & quam ob causam illa quidem occidunt, hæc vero vacant corruptione? Hesiodo igitur cæterisque theologis id curæ fuit duntaxat, quod sibiipsis verisimile esset, nos autem neglexerunt. Cū enim deos principia fecissent, & ex diis orta esse omnia posuissent, ea facta esse mortalia dicunt, quæ nectar atq; ambrosiam non gustarunt, hæc nomina sibiipsis, vt patet, nota dicentes, & tamen de causarum harum gustatione supra nostræ mentis vires dixerunt. Nam si voluptatis gratia ipsas tangant, nectar sane atq; ambrosia, non vt sint illis causæ esse videntur. Si vero sint causæ, quonam pacto erunt perpetui, cum alimentis indigeant? Sed de hisce quidem qui fabulose philosophantur, serio cōsiderare dignū non esse videtur. Eos autem qui per demonstrationem dicunt, interrogare oportet, cur nam si ex eisdem quæ sunt, principiis sint, alia natura sempiterna sunt, alia corrumpuntur? At cum neq; causam dicant, neq; consonum sit rationi, rem ita sese habere, patet nō eadem ipsorum principia & causas esse. Etenim & Empedocli, quem maxime sibi consona dicere quispiam arbitrabitur, idem sane cōtigisse videtur: nam ponit quidem corruptionis quoddam principium causamque, discordiam esse: non minus tamen & ipsa quàm concordia generare præter ipsum vnum videbitur. cuncta nanq; cætera ex hac ipsa sunt præter deum. Dicit enim,
 Ex his quæ fuerint, quæ sint, veniantq; futura,
 Sunt cuncta, arboribus genus hinc, hominesq; feræq;
 Hinc ortæ volucres, nutritiq; æquore pisces,

Cœlicolæq; omnes longæui, numina magna.

Et sine his etiam patet. nam si discordia non esset in rebus, vnum vniuersa essent, vt inquit. Nam cum vniuersa cōuenerint, tunc vltimo discordia ipsa extruditur. Quapropter & fit ipsius sententia, vt deus qui omnium est fœlicissimus, minus sit quàm cætera prudens. Non enim omnia elementa cognoscit, quippe cum discordiam non habeat. cognitio vero similis simili fiat. Dicit enim,

Nam terram terra, lympha cognoscimus vnda,
Aetherq; æthere sane, ignis dignoscitur igne,
Sic & amore amor, ac tristi discordia lite.

At enim id est manifestum, vnde nostra est profecta oratio, euenire inquã ipsi, discordiam quidem non magis corruptionis, quàm vt res sint, concordiam vero non magis vt sint, quàm vt corrumpantur, causam esse. Congregans enim in vnum corrumpit cætera: & insuper mutationis ipsius causam nullam dicit, nisi ita fieri aptam esse. inquit enim

Ast vbi nutrita est ingens discordia membris,
Tempore transacto dulcis concordia cessit,
Fœdere quod magno procedit vtrisque vicissim.

Vult enim, vt patet, necessario fieri mutationem, necessitatis vero causam nullã assignat. Attamen tantum dicere solus consone sibi videtur. Non enim eorum quæ sunt, alia subire corruptionem, alia nõ subire, sed vniuersa præter elementa subire dicit corruptionem. Præfens autem dubitatio est, cur alia occidunt, alia corruptionis expertia sunt, si ex eisdem sint elementis. Nõ esse igitur eadem omnium principia, patet ex hisce, quæ satis ad hoc ostendendum sunt dicta. Si vero principia sint diuersa, vna emergit continuo dubitatio, vtrum & ipsa corruptionis expertia sint, an corruptionẽ suscipiant. Nam si corrumpantur, patet hæc ex quibusdam constare necessarium esse. Vniuersa enim in ea corrumpuntur, ex quibus constant. Quo fit, vt principiorum alia priora principia sint, quod quidẽ fieri nequit & si stetur, & si in infinitum in principis abeat.

50 Nulla autem dubitatione inferior dubitatio ab hisce qui hac tempestate sunt, & a prioribus est ommissa. Quæstionem, quæ explicatione maxime indigebat, ab omnibus se prioribus prætermittam esse ait, de qua in principio libri in cōmemoratione quæstionũ meminit, sicut de superioribus. Hæc igitur quæstio est, vtrum eadem sint principia mortalium rerum, atq; immortalium. Nam si eadem sunt, quid est in causa, vt ex eisdem principijs omnium rerum, aliæ res mortales, aliæ immortales existant: quo in loco Hesiodum & veteres theologos cōmemorat, qui cum statuissent ex eisdem principijs, quæ immortalia ipsis esse placebat, res omnes constare, quod ipsis credibile videbatur, alia esse mortalia, quædam immortalia dicebant tantum, ommissa cætera nos edocendi persuadendiq; cura. Nam cum principia sempiterna esse atq; diuina, & ex ipsis res omnes existere factasq; esse statueret, quæ Ambrosiam Nectarq; degustassent, deos effici tradebant, cætera vero mortalia. Qui primum Ambrosiam Nectarq; potiones deorum effectrices esse dicentes, sibi fortasse nota dicunt, nobis tamen & omnibus alijs incognita afferunt, deinde simpliciter & obscure de huius portionis exhibitione locuti sunt. Cuius enim gratia ad hæc degustandum, quæ sunt causæ immortalitatis, accesserunt: Nam si voluptatis gratia ipsa degustant, certe ad esse neq; Ambrosia neq; Nectar quidpiam ipsis opitulabuntur, vt his gustatis fiant immortalia. Sin autem hæc potio gustata ipsis conferat ad esse, erit proculdubio ipsorum alimentum. At quæ aluntur, & nisi alantur non sunt, ea sempiterna esse qui possunt: Sed hæcenus Hesiodi ac cæterorum theologorum facta mentione, horum sententias qui fabulas afferunt, & fabulis mendacia congerunt, accuratius excutere omittit. Illud enim: (Fabulose philosophantur) huiusmodi est, fabulis veritatem excludunt. Deinceps ad eos transit, qui de his rebus demonstrando dicere videntur, in quibus operæ precium esse ait causam inuestigare, cur cum ex eisdem principijs & elementis omnia facta sint, quædam tamen sempiterna sunt, alia caduca. Nam si neq; aliam huius rei causam reddunt, neq; hæc sententia aliunde probabilis est, haud dubie nõ erunt eadem omnium rerum principia. Sed ne Empedoclem quidem recte sensisse ait, licet is inter naturales auctores sibi maxime constare videatur. Aliud nanq; elemētum causam generationis atq; existendi inducebat, id est amicitiam: aliud interitus, hoc est discordiã. Sed multis in locis discordia generationis, interitus vero amicitia per hũc causã esse videtur. Docet autem quomodo Empedocles constantia dicat, & quomodo rursus difficultatem non effugiat. Empedocles enim discordiã in principijs habebat, quam interitus causam esse tradebat, propter quã natiua omnia interirent, non quæ

Hesiodi
theologiã
confutat.

Nectar &
Ambrosia.

Empedocles.

Deus Sphæ-
rus.
Empedocles
sibi nō
constat.

dam, & alia secus. Hoc enim est quod ad hoc constanter dici videtur, omnia scilicet nascentia quæ ex eisdem principijs existunt, interire, nō alia interire, alia sempiterna persistere, solis principijs ab interitu vendicatis. quæ quatuor elementa, ac discordiam & amicitiam hic esse statuebat. & sic cur mortalia deleantur, causam relinquens, consona sibiq; constantia dicere videtur, dum aliam ortus, aliam interitus causam reddit. Qua vero discordiam ipsam generādi, hoc est generationis etiā, non solum interitus, causam esse dicit, quemadmodum amicitiam & interitus, non tātum generationis, vno enim excepto, quem deum ille ac Sphærum vocat, ab amicitia factō, res omnes a discordia per ipsum efficiūtur, qui præter deum inquit, id est præter sphærum, quem vnum quoq; appellat, vt ex adscriptis carminibus licet intelligere: hac Empedocles non satis sibi constare videtur, qui non hoc tuetur, nec in eo persistit, vt alia sit interitus, alia generationis causa, quo ipsius sentētia probabilis fore videbatur. (Non minus tamen & ipsa generare videbitur.) id est, genitrix ac effectrix esse. (cuncta namq; cætera ex hac ipsa sunt.) subaudi, quæ a discordia fiunt. Sed adscriptis carminibus, quibus discordiam omnium rerum quæ sunt, quæq; fuerunt, generationis causam facit, licet inter principia discordiam interitus auctore esse statuisset, aliunde etiā quā ex hoc carmine patere ait discordiā per Empedoclem vim obtinere generandi. Nam si discordia non esset in rebus, vñū, inquit, vniuersa essent, neque discernentur, nec efficerentur: quoniam ne in rebus vnum maneat, quod est opus amicitia, discordia mista causa est. Cum enim omnia coeunt, vnumq; fiunt, discordiam postremam ab ipsis fecerni tradit, ceu discordia sit causa existendi rerum discrepantium, cum ipsæ in vnum cogi possint huius secretionem. quamobrem in cæteris cunctis vt alia elementa, sic item discordiam haberi per ipsum ait, vt secretæ res sint, & in sua quæq; natura consistat. in vno autem deo hanc esse negat, quippe cui soli discordia non sit existendi causa, vt cæteris est omnibus. Postquam vero docuit, Empedoclis dicta inter sese pugnare, & eiusdem sententia, discordiam a solo deo, vt cui non sit existendi efficiens causa, abesse commemorauit, ipsum hoc nomine damnat, quod deum cæteris insipientiore faceret, dum cæteris omnium cognitionem tribueret, propterea quod omnia in se principia continerent. simile namq; a simili cognosci assererat, deum vero discordia cognitione priuaret, etiā si aliorum intelligentia ipsum non excluderet: nimirum quia cum cætera principia obtineret, discordia certe vacaret. Sed quærat aliquis, quomodo per Empedoclem deum idcirco insipientiorem esse dicat, quod non cuncta intelligat, cum eadem ratione per Aristotelē idem insipiens videri possit. quin & ipse quodam in loco quædam melius esse tradit non intelligere, vt mala. An idcirco insipientiorem Empedoclem esse dicit, quia non plura intelligit, quā cætera? Nam cum ipse ex elementis præterquam ex discordia gignatur, nihil aliud licet præstantius sit intelligit, quā ea ex quibus constat, neq; alia principia intelligit. Itaq; cum cæteræ res cuncta elementa intelligant, solus deus omnia intelligere nequit. Præterea deus qui omnia materialia elementa cognoscit, non ita intelliget efficiētia, quæ materialibus sunt peiora. Accedit, quod alio in loco discordiam tantum ab interitu per Empedoclem immunem esse tradit. Sed cum digressus hæc in Empedoclem differuisset, eo redit, vnde oratio defluerat, vt Empedoclis doceat inconstantiam, qui non id tuetur, vt amicitia semper sit generationis causa, interitus discordia, sed hanc non magis quā illam alterutrius causam esse facit. Quod enim amicitia sit etiā interitus causa, ipse docuit dicens, quia cuncta cogens in vnum haud dubie interemit ea, quæ fuerant ante coitum hunc. Quod si non magis discordia, quā amicitia interitus est causa, hac quoq; ratione probabile fuerit, deum per Empedoclem cæteris esse insipientiorem. Neq; enim per ipsum discordia est vitium quoddam egregium, vt merito deus ipsum non intelligat. ipse enim solus, cum sit compositio quædam, discordia vacat. Nam eadē est ratio, ac si amicitiam, aut aliquid aliud in deo esse negaretur. Neq; enim discordiam non intelligit, quod ipsum huiusmodi intellectio non deceat, sed quia non potest, quoniam ex ipsa non constat. Deinde hoc Empedocli vitio dat, quod causam non reddit cur iam amicitia, iam discordia totorū euincat. haud enim satis est dicere, sic fieri aptum est, sic est necesse. In cunctis enim rebus quæ sunt, quæq; efficiūtur, idē dicere licebit. Nec illud est causam reddere, dicere, sic natura comparatum est. Quibus aduersus Empedoclem dictis, hæctenus tamen ipsum solum constantia dixisse tradit, quoniam quæcunq; ex eisdem principijs existunt, omnia similiter caduca esse statuebat, non alia mortalia, alia sempiterna. hoc enim habet inconstantiam, aliqua esse immortalia, quædam mortalia, si omnia ex eisdem consistant. At postquā in eos disputauit, qui omnium rerum eadem esse principia statuebant, nunc eorum opinionem edisserit, qui alia principia sempiternorum, alia caducorum faciebant. Primum igitur quærit, num mortalium rerum principia quoq; caduca sint, an sempiterna. Si enim sunt interitui obnoxia, haud dubie ex ijs constabunt, in quæ abolebuntur, cum nequeant in nihil abire. ex ijs namq; res quæq; constat, in quæ dissoluitur. quo fiet, vt principiorum habeantur principia. Ac proinde hæc nō erunt principia, sed illa ex quibus hæc constituuntur. At vt principiorum principia sint, fieri neutiq; potest. Nam si principiorum principia sint, siue in aliquo consistant, siue procedant in infinitum, sequitur incommodum. Si enim constiterint, ea principia in quibus interitus consistit, principia erūt eorum quæ principia esse statuuntur, eademq; sempiterna, vt demonstratum est. aut si resolutio in nihilum abit, generatio erit ex nihilo. Sin autem absq; sine procedatur, semper intereuntis principij id erit, principium, in quod ipsum abit. Ad hæc omnino nullū erit principium, vt in libro superiore demonstratū est. vel illud, (Principiorum alia principia sunt) sequitur id, (Siue stet, siue in infinitum

An alia sempiternorū,
alia caducorū sint principia.

tum abeat. Vtriusque enim consequens est, ut principiorum habeantur principia. Post quod ait illud, (Quod quidem fieri nequit.) quod interpositum obscuram dictionem reddit.

Præterea quonam pacto erunt res quæ sunt corruptionis participes, si principia interibunt? Sin vero vacent corruptione, cur ex his quidem res participes, ex aliis autem expertes erunt corruptionis? hoc enim non est consentaneum rationi, sed aut fieri nequit, aut oratione indiget longa. Præterea neque quisquam aggressus est diuersa esse principia dicere, sed eadem quidem omnes omnium esse dicunt. Primum autem illud quod dubitauimus, prætereunt, hoc ut quoddam paruum sumentes.

51 Præterea quomodo erunt res quæ sunt corruptionis participes, si principia interibunt? Sensus est, Si caduca ex caducis principijs generantur, quomodo ea principijs deletis generari queunt? Nā principijs abolitis, quæ ex ipsis fiunt, non amplius effici possunt. ut intellectus ad hunc modum explicetur quomodo caduca nascuntur, & interibunt, nisi eorum principia fuerint, cum nascentia & intereuntia idcirco nascuntur, & intereant, quoniam principia obtinent, ex quibus & a quibus generentur, & aboleantur. est namque interitus, resolutio in principia ex quibus extitit quod aboletur. Quomodo igitur peribunt, si non sunt in quæ resoluantur? Sin autem quispiam caducorum principia sempiterna esse dicat, rursus inquirat quomodo aut quamobrem ex his principijs immortalibus quædam mortalia fiant, ex illis sempiterna. Quæstio enim eadem fere manet atque superior. Præterea neminem prorsus dixisse ait, alia esse mortalium, alia immortalium principia. Omnes enim eadem esse utrorumque statuisse, omisisse tamen id differere quod primo quæsitum est, quomodo scilicet ex eisdem principijs alia caduca, alia sempiterna generantur. Hoc enim significat cum ait, (Primum autem illud, quod dubitauimus respuunt.) ut proxima subiecta verba illa declarant, (hoc ut paruum quoddam sumentes.) Ceu enim parui hæc sit momenti, nec ullam habeat difficultatem, statuentes omnium rerum eadem esse principia, de hac quæstione ne verbum quidem fecerunt. vel (respuunt) pro eo dictum est, per quædam quæ sibi probabilia videntur, fabulari, entant, ut de Hesiodo veteribusque theologis dixit. De Empedocle item, qui ex eisdem principijs cuncta faciens, aliam tamen ortus, aliam interitus causam esse statuit, non magnum quidquam, vel difficile positum. Per ipsum tamen non eadem sunt sempiternorum atque mortalium principia, neque in mortalibus omnia principia sunt sempiterna. Etenim forma non est sempiterna, materia vero est illa quidem sempiterna, non tamen ad perpetuandum inepta, sed pati potius atque alterari apta.

Interitus
quid sit.

Forma non
est sempiterna, materia vero sic

Hoc autem omnium & ad contemplandum difficillimum, & ad cognoscendam veritatem maxime necessarium esse videtur, utrum id quod est, atque vnum ipsum, substantiæ sint eorum quæ sunt, & utrunque ipsorum non aliud quicquam sit, sed alterum quidem vnum sit, alterum autem ens: an quærere oporteat quidnam sit id quod est, ac vnum ipsum, ut alia quædam natura subiecta? Quidam enim illo, quidam hoc modo naturam ipsorum sese habere putant. Plato namque & Pythagorici non aliud quicquam id quod est, ac vnum ipsum, inquirunt esse, sed id ipsorum est natura: quippe cum substantia ipsius sit ipsum esse vnius ac entis. Naturales autem quidnam sit dicunt. Empedocles enim quasi ad notius redigens dicit quidnam sit ipsum. nam concordiam ipsum esse, dicere sane videbitur. Hæc enim cunctis est causa, ut sint vnum. Alii vero ignem, alii aerem esse inquirunt hoc vnum, & id quod est, ex quo ea quæ sunt, & esse, & fieri dicunt. Eodem modo faciunt & hi qui plura afferunt elementa. necesse est enim & hosce tot esse dicere id quod est, ac vnum ipsum, quot esse principia dicunt. sit autem, si quispiam non posuerit vnum ipsum, & id quod est, substantiam quandam esse, ut neque cæterorum quicquam vniuersalium sit. hæc enim maxime omnium vniuersalia sunt. Si igitur non sit quicquam vnum ipsum, ac ipsum ens, multo minus cæterorum quicquam fuerit præter ea quæ singularia dici solent. Præterea si non sit vnum ipsum substantia, patet neque numerum esse, ut quandam a rebus separatam naturam. Nam numerus quidem est vnitates, vnitates autem proprie vnum quid est. Si vero sit quidpiam ipsum vnum, & ens, necesse est ipsorum esse substantiam vnum ipsum, & id quod est. non enim aliud quicquam vniuersaliter prædicatur, sed hæc ipsa.

52 Hoc autem omnium & ad contemplandum difficillimum, & ad cognoscendam veritatem maxime

Ens & vnū
vtrum res
rū substan-
tiæ sint.

Platonis
& Pytha-
goricorum
de ente &
vno opi-
nio.

Numerus,
accidēs est,
non substā-
tia.

necessarium esse videtur.) Quæstio quam difficillimam & maxime necessariam esse ait, est, vtrum ens & vnum rerum substantiæ sint, id est principia, quæ hoc ipsum sint vnum & ens, vt nec alteri enti adsint, & hanc naturam significant in ijs de quibus prædicantur. An sit alia his subiecta natura, quæ rerum principium & substantia sit, cui vel quibus subiectis si plura sint, vnum ipsum & ens accidat, quæ oporteat quidnam sit inuestigare, ignis ne, vel aqua, an aliud quidquam. quam inuestigationem necessariam esse declarat, quod de his rebus alij aliter prodidere, & ex eis quæ in processu quærit, intelligitur: tum etiam quia in veritatis contemplatione princeps est entis inquisitio, & quoniam huic connexa est illius quæstionis solutio, vtrum numeri rerum principia & elementa esse possint. Sed nō modo huiusmodi perquisitio maxime necessaria est ad veritatis cognitionem, sed etiam horum discussio plena est difficultatis, cum intelligibilium ac primarum & causarum & rerū cognitio sit longe difficillima. At illud, (vtrum id quod est, atque vnum ipsum substantiæ sint eorum quæ sunt.) ipse exponit cum ait: (Et vtrumque ipsorum non aliud quidquam sit, sed hoc vnum, illud ens.) Est enim sensus, cum ens & vnum de numero entium sint, vtrum entia vt substantiæ sint, an vt accidentia substantiæ? Sed postquam docuit quosdam ens & vnum naturas quasdam esse per se existentes credidisse, quosdam aliarum quarundam naturarum accidentia, scilicet vt de infinito in primo Phisici auditus libro docuit, quod nonnulli naturam quandam esse faciebant, vt Pythagorici, quibus par numerus huiusmodi esse putabatur, quidam alteri accidere existimabant: his igitur explicatis, addit, commemoratque quis hoc, quis illo modo existimauerit. Eius autem, (An quæ- rere oporteat quidnam sit id quod est, ac vnum ipsum, vt alia quidem natura subiecta.) hic est intellectus, An quæ- rere oporteat quid est vnus & entis subiectum, quasi hæc accidentia sint subiecto- rum, nec ipsam substantiam significant. Plato igitur & Pythagorici alteri cuiuspiam subiecto hæc ad- esse negabant, quin potius ipsorum subiectam esse naturam aiebant, & substantiam hoc ipsum vnum atque ens. Illud autem, (quasi substantia sit ipsum esse vnus ac entis) huiusmodi est, quasi eadem substantia sit vnum & ens, perindeque sit vnum esse, atque idem esse. Porro Platoni tum ens, tum etiam vnum substantiam quandam esse placuisse, ex eo satis intelligitur, quod ipsius & ipsius ideas esse tradidit. Naturales vero auctores, quorum fuit Empedocles, quiddam aliud enti & vni subijciebant, & hæc illi adesse putabant. Nam Empedocles referēs ad notius quiddam, vnum amicitiam esse statuit, de qua vnum prædicari ait, quoniam amicitia per ipsum cogendis rebus causa cuique est vt vnum sit. Alij vero naturales authores ignem vni atque enti substernebant, vt Heraclitus. Fuerunt qui aerem, vt Anaximenes. & alij item aliud. Quidquid enim horum quisque principium & causam esse statuebat, de hoc ens & vnum prædicabat. Quin & per eos qui plura esse rerum elementa putabant, vnumquodque ipsorum vnum erat & ens. Sed commemoratis expositisque sententiis de principijs dissensionibus, quæstionem incipit disputare, ac in primis in eam partem edisserit, si quis vnum & ens substantias esse neget. hoc enim significant verba illa: (Si quispiam non posuerit vnum ipsum, & id quod est, substantiam quandam esse.) idemque est intellectus si scriptum sit (substantiam cuiusdam.) Ens enim maxime omnium prædicatur. Nam cum homo de hominibus, de animalibus animal prædicetur, ens & vnum de cunctis entibus prædicatur. Si ergo maxime vniuersalia neque substantiæ sunt, neque entia, ne cætera quidem vniuersalia fuerint substantiæ. (Si igitur, inquit, non sit quidquam vnum ipsum, atque ipsum ens.) id est, si non licet vnum & ens velut genera rerum accipere, vt de ipsis quasi genera prædicentur non æquiuoce, vt alio in loco demonstrat. Dixit autem (substantiam cuiusdam) pro eo, alicuius esse substantiam, & de quibus dicitur in substantia seu essentialiter prædicari. Sed cum dixisset sola singularia esse futura, non autem vniuersalia, hoc absurdum esse demonstrat, non futuris alioquin disciplinis, nec intelligibili quopiam, sed cunctis sensibilibus, ac nullo sempiterno. Quibus hoc in loco adiungit, numerum substantiam non fore, quasi discretum ac per se existentem, vt Platoni ac Pythagoricis videbatur, nisi vnum substantia quædam fuerit. Cuius causam subijcit, quoniam numerus est vnitas, tum compositio. Vnitas autem idem est atque vnum. Quare si vnum non est substantia, ne vnitates quidem substantiæ fuerint. Si non vnitates, nec numerus certe: quo fiet, vt numerus accidens sit, non substantia, cum vnum non sit substantia, sed alij cuiuspiam accidat. Illud vero: (Vnitas autem quod vnum quid est.) Sic exponi debet, id est, vnitas proprie vnum est. vel sub. vnum vt genus, quoniam vnitas vnum de ipsa prædicatur. quod intulit, quoniam id non quidem ipsi, sed ijs incommodum videbatur, quibus placebat numerum esse substantiam quandam separatam. Fuerunt enim, vt dixi, quibus numerus substantia quædam esse videretur. Nam cui mathematica substantiæ quædam esse videbantur, is numerum in substantijs habebat. Deinde partem alteram confirmat, vnum scilicet & ens non esse substantias per se. Primum autem ostendit, qui per se vnum & per se ens asserant, hoc est vnum & ens non esse aliorum accidentia, sed proprie entia dicebant, his consentaneum esse, vt dicant ipsa esse substantias, ipsorumque esse in eo consistere, quod sint vnum & ens. Illud enim (ipsorum esse substantiam vnum ipsum & id quod est) significat vnus & entis hæc esse substantias, nec esse aliud ipsorum esse, quàm esse vnum, vel esse ens, quod proxima hæc verba declarant. (Non enim aliud quidquam vniuersaliter prædicatur.) id est, neque enim ens & vnum diuersa sunt a subiectis de quibus prædicentur, sed eadem atque ipsa. Vel sic, neque enim aliud quidquam de substantia prædicabitur, nisi hæc vnum & ens: vt quidquid est substantia, vnum sit & ens,

nec aliud quidquam sit, quàm hoc ipsum. Nam quemadmodum, quia quod de hominibus prædicatur, id homo est, idcirco ea de quibus prædicantur homines, sunt, nec aliud quidquam, sic eorū substantia, de quibus ens & vnum in substantia prædicantur, vnum fuerit & ens, si ens & vnū substantiæ quædam sint. Nam neq; aqua, neq; ignis de entibus prædicantur, vt aqua vel ignis ipsorum substantia esse dicatur, sed ens & vnum. Si hæc ergo substantiæ sunt, ac de entibus vniuersaliter prædicantur, hæc ipsa vnum & ens substantia fuerint eorum de quibus prædicantur. Quamquam hoc, (si vero sit quidpiam ipsum vnum & ens, necesse est ipsorum substantiam esse vnum ipsum, & id quod est.) in eos dictū accipi potest, qui ipsa ideas esse dicebāt. Per eos enim quibus ipsi vnum, & ipsi ens ideas esse placebat, necesse est vnum & ens horum esse substantiam. Haud enim ipsi vnum & ipsi ens diuersa existentia vniuersaliter de rebus prædicantur. alioquin iam non esset ipsi ens & ipsi vnum. Sed hæc quatenus vnum est & ens, de alijs vniuersaliter prædicantur. Vel sic. Nam non aliud quidquam vniuersaliter prædicatur, nisi hæc ipsa. hoc est, quia non aliud de ipsi vno & ipsi ente prædicatur, vt ipsa sint eius naturæ, quàm id significat, quod vniuersaliter prædicatur. Sed hæc ipsa vnū & ens de ipsis prædicantur.

At vero si sit quippiam ipsum vnum, & ipsum ens, magna existit nimirum dubitatio, quonam modo quicquam aliud præter hæc erit. Dico autem hoc pacto, quonam modo ea quæ sunt, plura erunt vno. Id enim non est, quod est aliud ab eo quod est. Quare necessario fit ratione Parmenidis, vt vnum omnia sint, atque hoc fit id quod est.

53 At vero si sit quidpiam ipsum vnum & ens, magna existit nimirum dubitatio, quonam modo quidquam aliud præter hæc erit. Postquam docuit, si ens & vnum de his vt substantia prædicetur, fore, vt ens & vnum substantiæ quædam sint, non accidentia, difficile quoq; factu esse ait demonstrare, quid aliud supersit præter ens & vnum. Nam quod præter ens est, nõ est ens, vt Parmenides dicebat. ens autem est vnum. quidquid igitur præter vnum fuerit, nihil erit, cum præter ens & præter vnum idem sit, quasi ens & vnum idem sint, ac proinde plura non fuerint, cum plura sint præter vnum, ipsum autem præter vnum non sit, non magis quàm præter ens. Hoc autem sequitur, si ens & vnum substantiæ sint, neq; dicatur æquiuoce. Erunt igitur, vt Parmenides dicebat, id est, vnū cuncta, & hoc vnum tantum erit ens.

Vtroq; autem modo difficultas esse videtur. Siue enim vnum ipsum nõ sit substantia, siue sit quippiam ipsum vnum, impossibile est numerum substantiam esse. Si igitur non sit, dictum est antea id ob quod illud eueniet. si vero sit, eadem emerget quæ & de eo quod est, fieri dubitatio solet. Ex quo nanque & præter vnum ipsum, erit ipsum aliud vnum, necesse est ipsum vnum non esse. omnia autem quæ sunt, aut vnum sunt, aut multa, quorum quodq; est vnum.

54 Vtroque autem modo difficultas esse videtur. siue enim vnum ipsum non sit substantia, siue sit quidpiam ipsum vnum, impossibile est numerum substantiam esse. Docuit supra, nisi vnum sit substantia, ne numerum quidem separatam substantiam fore, cum numerus sit vnitatū congestio, vnitates vero non sint substantiæ. Nunc quanuis vnum substantia sit, non tamen numerū substantiam esse posse confirmat, scilicet, quia omnino non erit, cum præter vnum nihil sit futurum. Nam quod est præter vnum, non est vnum: quemadmodum quod præter ens, non est ens. Assumpto igitur, si quid præter vnum sit, id non fore vnum, sed multa, docet multa esse non posse, propterea quod multa ex multis vnitatibus constituentur, multæ autem vnitates esse non possunt. alioquin præter vnū quidquam esset. Porro si vnitates, inquit, plures nõ sint, ne numerus quidem habebitur. Necesse est enim, vt omnis multiplex vnitates præter ipsi vnum & vnum quasi substantia sit. Quod autem est præter vnū, non est vnum. quod si plures vnitates non fuerint, nec numerus erit certe. Omnes enim res vel vnum sunt, vel multa: multa vero esse non possunt, propterea quod multa ex multis vnitatibus congeruntur. Præter vnum autem nihil esse potest. Nam præter vnum est non vnum, quemadmodum præter ens non ens. quod si multa esse non possunt, nihilo certe magis numerus, cum vnitatum multitudo multa sit. (Eadem, inquit, emerget & de ente dubitatio.) hoc est, idem quæretur de ente, quod de vno. Nam vt præter ens, est non ens, sic præter vnum, non vnum. quod proximis his verbis significatur. (Ex aliquo enim aliquid erit præter vnum.) Necesse est enim ne sit præter vnum aliud, ex quo aliud vnū futurum est. Nam quemadmodū si ens substantia sit, nulla iam fuerit alia substantia, quoniam præter substantiam est non substantia: sic si substantia est, vnum ens solum erit: ac proinde multa non erunt. nam multorum quodq; vnum est. Multa enim numerusq; ex vnitatibus constituuntur, quæ nisi fuerint, ne multa quidē fuerint, neq; numerus. Vel sic: Si ipsi vnum est, oportet si numeri sunt numeri futuri, vt aliud vnū generetur. Hoc autē vnū quod efficitur, necesse est vt cum vnū non sit, vnū fiat. ex nõ vno igitur fiet hoc non vnū. Nā si omnia entia vel vnū sunt,

vel multa, multa autem ex vnitatibus existunt, ex quibus non efficitur vnum, profecto id ex quo vnum efficitur, nihil fuerit.

Præterea si indiuisibile sit ipsum vnū, nihil erit profecto Zenonis opinione. Quod enim neque cum additur, neque cum aufertur, maius vel minus facit, id esse negat, quippe cum id quod est, sit magnitudo, & magnitudo corporea. hæc enim omni ex parte est ens, cæteræ vero si addantur, partim faciunt maius, partim non faciunt, vt superficies ac linea. punctum autem & vnititas nullo pacto faciunt maius. Sed quoniam hic inepte admodum contemplatur, & potest in ratione rerum indiuisibile esse, vt & hoc pacto sit & ad illum quædam responsio, nam tale non maius quidem, sed plus faciet, si addatur, illud quærendum esse videtur, quonam pacto ex vno tali, vel pluribus fuerit magnitudo. Est enim hoc perinde atque si linea ex punctis constare dicatur. At vero & si quispiam hoc pacto putat, vt ex vno ipso ac alio, non vno quodam numero ipse fiat, quemadmodum quidam dicunt, non minus tamen quærendum est, cur & quomodo interdum numerus, interdum magnitudo id erit quod inde oritur, si non vnum ipsum inæqualitas & natura eadem erat. Non enim patet aut quonam pacto ex vno ac ipsa, aut quomodo ex numero quodam & hac eadem magnitudines fient & orientur.

Zeno Eleata.

Corpora quomodo augeantur.

Platonis opinio.

Præterea si indiuisibile sit ipsum vnum, nihil erit profecto Zenonis opinione.) Præter supra disputata quærit etiamnum de vno, si prorsus indiuiduum hoc ac expers magnitudinis sit, quomodo magnitudinis principium esse possit. Zenonis enim sententia nihil esset. Sic enim Zeno opinabatur. Fuit autem hic Zeno Eleata Parmenidis discipulus, cui nihil omnino esse placebat, quod cuiuspiam additum ipsum maius non efficeret, nec subductum minus. Huiusmodi autem esse ipsiunum. Ille igitur quasi res omnis magnitudo & corpus sit, propterea quod nulla magnitudo alia est in subsistentia, nihil putabat sine corpore augeri augereve posse. id enim prorsus ens esse, quoniam huiusmodi magnitudo addita prorsus augebit, cæteræ non simpliciter augebunt totum, sed modo quodam, utpote quæ non proprie sint magnitudines. Linea enim & planum duntaxat per extrema composita inter se augent. Superficies enim composita per lineam, quæ ipsius est terminus, ipsam adauget, per superficiem & latitudinem non adauget. Congruit enim, quoniam altitudo ex superficie composita fieri non potest. Pari ratione linea quæ magnitudo est, per punctum. Composita enim per punctum, quod est ipsius terminus, totam efficit maiorem. Per lineam vero congruit, non adauget, quoniam latitudo non constituitur ex linea, sed harum vtraque licet non proprie, quodammodo tamen est ens, quatenus adauget entia. at punctus & vnititas, quoniam magnitudinis sunt expertes, cum augere nequeant, nihil omnino esse Zenoni putabantur. Cæterum commemorata Zenonis sententia, quæ penitus vnum tollebat, addit: quanquam Zenonis oratio importuna sit, quæ præter magnitudinem quidquam esse negat. aliquid enim indiuiduum esse potest, cum nihil penitus obstet quo minus indiuiduum augere possit. Ipsi tamen occurri potest, quoniam etsi indiuiduum non efficiat maius, plus tamen efficiet, & hac ratione vnum & indiuiduum augebit. Itaque hoc non efficitur, vt ipsiunum nihil sit, cum ipsum augere possit. Illud porro inuestigare operæ precium esse ait, quomodo ex huiusmodi vno vel pluribus efficitur magnitudo. Hoc enim simile est, ac si quis lineam ex punctis constare dicat. Quæ quidem in eos dicta sunt, quibus numeros omnium rerum principia & elementa esse placebat, vt etiam magnitudinum essent principia. In hac autem sententia fuerunt Pythagorici. Deinceps differit de Platonis sententia, qui & numeri & cæterarum rerum principium esse dicebat vnum, & aliud quiddam non vnum, hoc est numerum quendam: quod significant illa verba, (ac alio non vno quodam) quod est inæqualitas, & indefinita dualitas, quæ ipse magnum & paruum appellabat. Nam primum ex infinita dualitate numerum ab vno gigni statuebat, deinde cætera. Quærit igitur quomodo ex vno & infinita dualitate coniunctis hoc numerus sit, illud magnitudo. haud enim numeri tantum ex his, sed & magnitudines per ipsum generabantur. Nam si inæqualitas & dualitas indefinita, quæ eadem est natura, principium est numerorum & magnitudinum, quomodo ex vno & hac copulatis magnitudo aliqua effici potest, cum hæc vim numeri generandi habeant? Vel si quis numerum primum ex his fieri dicat, deinde ex numero magnitudines, quomodo ex numeris, vel ex numero & inæqualitate coniunctis effici potest magnitudo, inuestigare est operæ precium. Dubium est enim quomodo quæ partibus vacant, possint magnitudines generare. (Si, inquit, non vnum ipsum inæqualitas & natura eadem erit.) id est, si non vnum per ipsum est inæqualitas, & hæc natura & numerorum & magnitudinum per ipsum est eadem. quomodo enim ex eisdem principijs & numeri & magnitudines generari valeant?

Post hæc autem sequitur dubitatio, vtrum numeri corpora plana, ac puncta sub-

stantiæ quædam sint, an nō sint. Nam si non sint, præterit nos quidnam sit id quod est, & quænam sint substantiæ rerum. Affectus enim, motus, relationes, dispositiones, ac rationes, nullius rei substantiam significare videntur. Omnia nanq; de aliquo subiecto dicuntur, & nihil hoc aliquid est. Quæ vero maxime substantiam significare videbuntur, sunt ignis, aqua, aer, atq; terra, ex quibus corpora composita constant: horū caliditates quidem, frigiditates, ac tales affectus non sunt substantiæ. Corpus autem solū quod hæc patitur, atque suscipit, permanet, quia est quid, & substantia quædam. At qui corpus minus quàm superficies, & hæc minus quàm linea, & linea minus quàm vnitas punctumve, substantia esse videtur. His enim corpus definitur, vt patet, & hæc quidem sine corpore posse esse videntur, corpus autem sine his esse nequit. Quocirca plerique homines quidem, ac veteres, corpus quidem substantiam, & id quod est, esse arbitrabantur, cætera vero huius affectus. Quare & principia corporum, principia rerum esse putabant. Posteriores autem, & hi qui sapientiores his esse sunt visi, numeros. Vt igitur dicebamus, si non sint hæc ipsa substantiæ, nulla est prorsus substantia, neque quicquam omnino est ens. Non enim ea quæ hisce accidunt, dignum est entia appellare. At vero si hoc quidem conceditur, longitudines inquam, punctave magis quàm corpora substantias esse, hæc autem quorumnam sint corporum, non videmus, esse enim in sensibilibus nequeunt, non erit profecto substantia vlla. Præterea hæc omnia partim in latitudinem, partim in altitudinem, partim in longitudinem corporis dimensiones esse videntur. Insuper æque in solido quæuis inest figura. quare si neque in lapide Mercurius inest, neque tessera dimidium sit in tessera sic definitum, neque ergo superficies inest. nam si quæuis esset, & ipsa profecto esset quæ dimidium ipsum definit. Eadem & de linea, & puncto, ac vnitate est ratio. Quare si corpus quidem maxime substantia sit, hæc vero magis quàm corpus, non sint autem hæc, neque sint substantiæ quædam, præterit sane quidnam sit id quod est, & quæ tandem sit substantia rerum.

- 56 Post hæc autem sequitur dubitatio, vtrum numeri corpora plana, & puncta substantiæ quædam sint, an non sint. Per superiorem disputationem numeros substantias non fore demonstravit, nūc præterea inquit, vtrum numeri corpora, & puncta & superficies videlicet & linea substantiæ sint, an secus: quoniam nisi hæc substantiæ sint, nulla prorsus fuerit substantia. Nam quæ aliæ substantiæ esse possunt? Sunt autem non substantia, exempli causa, qualitates, has enim motus passiuos appellat, item relationes & dispositiones, quæ & ipsæ qualitates sunt. & rationes, sic enim numeros appellat, qui substantiarum sunt, non ipsi tamen sunt substantiæ. (Nullius, inquit, rei substantiam significare videntur.) id est, substantiæ non sunt. Similiter cætera quæ nouem prædicamentis subiiciuntur, non sunt substantiæ. (Omnia nanque de aliquo subiecto dicuntur.) id est, sunt in aliquo subiecto, & aliquid aliud subiectum habent, nec per se subiiciuntur, neque ipsorum quidquam sub demonstrationem cadit, vt subiectum per se. Ens autem hoc in loco substantiam appellat. Quibus explicatis, vt manifestum subiicit, corpora simpliciter potissimum esse substantias. Semotis autem qualitatibus, & cæteris affectionibus velut corporum accidentibus, corpus his subiectum affectionibus dico, substantiam esse assumit. quod triplex habet interuallum. quo sumpto, post hæc docet, hoc corpus minus esse substantiam, quàm proprios ipsius terminos. Superficies enim magis esse substantiā quàm corpus, lineam quàm superficiem, punctum quàm lineam. Deinde ostensurus, quoniam hæc substantiæ non sint, ne corpus quidem esse substantiam, vtitur loco a magis ad minus. Si enim quæ magis substantiæ esse videntur, substantiæ non sunt, certe nec quæ minus. quod autem corpus minus quàm hæc, substantia sit, duplici probat argumentatione: altera sic: Quibus aliquid definitur, & in specie constituitur, ea magis substantia sunt, quàm definitum ab ipsis. Nam quæ definiunt aliquid, ea magis entia sunt, magisq; substantia, quàm definitum, & in specie constitutum, seu informatum. hæc enim causa redditur ab ipso cur forma quàm materia magis substantia sit. corpus autem a superficie linea & puncto definitur, hæc igitur quàm corpus magis sunt substantia. Altera argumentatio sese ad hunc modum habet. Quorum est ea conditio, vt hoc absque illo esse possit, non ediuerso, in his quod esse per se potest, magis est substantia. corpus autem corporisque termini sic se habent, vt termini absq; corpore esse possint, non item corpus absq; illis, termini igitur magis sunt substantiæ, quàm corpus. Sed merito dixit, (posse esse videntur.) subsistere enim nihil horum absque corpore potest, non magis quàm corpus sine his. intelligentia vero & ratione hæc possunt esse sine corpore, non autem corpus sine ipsis, quia corpus sine superficie intelligi non potest, nec superficies sine linea, nec linea sine puncto, quoniam hæc in ipsorum definitionibus continentur.

Nouē prædicamentis subiecta nō sunt substantiæ.

Corpus.

Punctū, lineam, & superficiem, entia & substantias non esse.

Nam corpus esse dicitur, quod longitudinem, latitudinemque habet: superficies, quæ longitudinem atque latitudinem: linea vero, longitudo non lata, cuius termini sunt signa siue puncta. At signum sine linea, hæc sine superficie, & superficies absque corpore intelligitur. In cuius sententiæ confirmatio- nem priorum citat sententias. Quorum antiquiores, quique parum exacte de rebus differuerunt, substantias rerum, ac principia corporea esse statuebant. Posteriores vero his, qui habiti sunt sapientiores, Pythagorici videlicet & Plato, numeros dicebant esse principia rerum, ceu hi magis quam corpora essent substantiæ. Nam corporum principia proprie entia esse dicebant, quod essent & entium & corporum principia. quo assumpto ait, si horum nullum substantia sit, nihil fore substantiam: non corpora, ut quæ minus sint substantia. non item quæ corporum sunt accidentia. Quod autem hæc non sint entia, hoc est substantiæ, ostendit ad hunc modum, Si punctum & linea & superficies entia sunt, & substantiæ, nimirum ipsorum subsistentia in corporibus est, & ex corporibus, in his. horum autem nullum est in sensibilibus. quale namque punctum definimus, nihil tale in corporibus sensibilibus est reperire, nec qualem lineam, cum minime accipere liceat in corpore sensibili longitudinem a latitudine prorsus separatam, nec item superficiem sine altitudine. si ergo entia essent, & substantiæ, in corporibus sensibilibus haberentur. hæc enim sola sunt in subsistentia. Rursusque si non habeantur in corporibus sensibilibus, ne substantiæ quidem fuerint. Ex eo autem non esse hæc in subsistentia demonstrat, quod hæc affectiones sint, ac in diuisione corporum fiant, cum tamen diuisiones corporis non sint subiecta, nec sint in propria natura, quoniam sunt affectiones, affectiones autem non sunt substantiæ, tametsi corpus a linea per latitudinem secetur, per altitudinem a superficie, a puncto per longitudinem. Ad hæc superficiem lineam & punctum in corporibus non esse, ostendit ad hunc modum: Hæc consideratione in corporibus esse dicuntur, non igitur subsistentia, & quod separari possunt. quo assumpto, in corporibus, inquit, qualemcumque figuram, & qualemcumque superficiem accipere pari ratione licet, propterea quod consideratione in rudi lapide Mercurij effigies, & Apollinis, & cuiuspiam alterius pari ratione intelligi potest: ut in tessera dimidium tessere inest intelligentia: & superficies quæ altitudinem in duo secat, in ipsa intelligi potest, & quælibet alia superficies pari ratione. Si ergo figuræ omnes & superficies pari ratione in corpore sunt, sunt enim cogitatione, quæ autem cogitatione accipiuntur, non sunt in ipso, ne aliud quidem erit quodpiam. Quare si Mercurij effigies non est in lapide, nec ea certe fuerit, quam habere videtur. & si in tessera non est, quæ ipsam bipartito secat, nihilo magis ea fuerit, quæ videtur habere. Sed captio rationis in eo est quod sumitur, similiter omnes figuras esse in subiecto, ut quæ potentia insunt, & quæ actu. Inde autem sumit probabilitatem, quod perinde quæ actu sunt, atque ea quæ potentate, consideratione videtur esse, idque quoniam separari non possunt. quæ ratio similis est in linea, puncto, vnitatemque, nam vnitatis punctus quidam est, atque in superficie. Nam horum quodque consideratione similiter in subiecto corpore esse affirmare licet, & ostendere, quæ potentia sunt in subiecto, ea non esse in ipso. Nam quod in subiecto potentia est, id nondum in ipso est, quoniam ne ea quidem in ipso esse demonstrari possunt, quæ in ipso actu esse videntur. Sed postquam his docuit, nec superficiem, nec lineam, nec punctum, nec vnitatem substantiam esse, quasi consequens eorum quæ demonstrata sunt, assumit, ne corpus quidem, quod ab his terminatur, substantiam fore. Hæc autem non modo substantias non esse ostendit, sed nec entia quidem omnino. (Non sunt, inquit, aut hæc, neque substantiæ quædam.) id est, neque entia hæc sunt, neque substantiæ.

Nam ultra ea quæ dicta sunt, præter etiam rationem accidunt ea, quæ circa generationem corruptionemque eueniunt. Substantia enim si prius non erat, & nunc est, aut si ante erat, & postea non est, hæc ipsa pati cum generatione corruptioneque videtur. At fieri non potest, ut puncta, lineæ, superficiesve, quæ interdum sunt, interdum non sunt, generentur vel corrumpantur. Cum enim corpora se tangunt, simul fit superficies una: cum diuiduntur, duæ, & sic etiam cætera. quare neque compositis est, sed euanuit: & diuisis, sunt quæ prius non erant. non enim indiuisibile punctum, diuisum est bipartito. Quod si generentur & corrumpantur, ex aliquo generantur. Similiter & res sese habet & circa ipsum temporis punctum. neque hoc enim generari corrumpive potest, attamen videtur aliud semper esse, quia non est substantia quædam. Eodem modo rem sese habere patet & circa puncta, & lineas, atque plana. est enim eadem in vniuersis his ratio, nam omnia similiter aut fines sunt, aut diuisiones.

Corporis termini an substantiæ sint. Nam ultra ea quæ dicta sunt, præter etiam rationem accidunt ea, quæ circa generationem corruptionemque eueniunt. Hæc quoque argumentatio corporis terminos non esse substantias, probare nititur, quos magis quam corpus substantiam esse docuerat, ad hunc modum: substantiæ, quæ prius non erant, per generationem ad esse procedunt. rursus quæ prius erant, pari ratione ad non esse per interitum, prorsus ut esse & non esse substantiarum, generatio & interitus antecedat, hi autem absque generatione & interitu iam sunt, iam non sunt, non sunt igitur substantiæ. Illud enim: (Cū corpora se tan-

gunt simul, sit superficies vna: cum diuiduntur, duæ.) absq; generatione fieri significat. Simul enim atq; inter se contingunt, efficitur vna: ac vicissim simul ac diuiduntur, efficiuntur duæ, idq; nulla generatione antecedente. Tum autem esse, tum non esse citra generationē & interitum, docet ad hūc modum: Cum corpora inter se contingunt, & rursus segregantur, iam vna est superficies, & linea & punctum iam duo efficiuntur. cum enim contingunt, vnum fiunt amborum termini, scilicet quia conueniunt. Cum autem diuiduntur, statim rursus duæ. Ita modo superficies duplex est, & cætera, cum videlicet corpora inter se non contingunt. modo non est, cum scilicet contingunt. idq; sine generatione & interitu. Neq; enim punctum quod suapte natura indiuiduum est, in duo diuisum fuit, vt huiusmodi partitio, alterius puncti sit generatio. sed cum prius non fuisset, postea citra generationem est. quæ eadem lineæ ac superficiæ ratio intelligitur. Neq; enim linea per latitudinem diuidi potest, vt sic abolito contactu vna duæ efficiatur, non magis quàm superficies per profunditatem. His adiicit, quod quidquid generatur, ex aliquo subiecto & materia efficitur. his autem nihil subijcitur. hæc igitur non generantur. Si enim suprascripta tum sunt, tum non sunt absq; generatione, efficitur vt non sint substantia. Præterea vt in nunc seu momento, quod temporis est terminus, sese res habet, sic in linea & superficie habebit. hæc enim cuncta pari ratione sunt termini, hoc corporis, illud superficiæ, quoddam lineæ, aliud temporis siue diuisionis. per hæc enim fiunt propositorū diuisiones. Si ergo hæc omnia vt similiter modo sint, modo non sint necesse est, saltem quorum eadem est natura, momentum autem iam est, iam non est, variatq; subinde sine generatione ac interitu, eadem profecto fuerit cæterorum ratio. quod in momento verum esse confirmatur ad hunc modum: Omnis generatio ac perinde interitus omnis in tempore est. Ergo si momentum generaretur, in tempore primum generaretur. quod autem in tempore generatur, diuiduum est, partesq; obstat, ac in quadam habetur distantia. Nam quod in tempore generatur, eius pars alia generata est, pars generatur. Per temporis enim partes, rei generandæ partes gignuntur. Præterea omne quod efficitur, subiectum aliquod habet, vt dictum est, momento autem nihil subijcitur. Si ergo momentum sine generatione modo est, modo non est, eadem erit commemoratorum ratio. Porro si hoc verum est, hæc utiq; non fuerint substantiæ.

Fieri quædam sine generatione.

Omnino autem dubitauerit quispiam, cur & quæerere alia quædam præter sensibiles & medias res oportet, vt ea quæ ponimus formas. Nam si propterea, quod mathematicæ ab hisce alia quidem differunt ratione, hoc autem quod multæ sunt, quædam eiusdem speciæ non differunt, non erunt ipsarum principia numero definita, quæadmodum & literarum numero quidem omnium non sunt principia definita, speciæ vero sunt. si vero huiusce syllabæ quispiam, aut huiusce vocis principia sumat, harū etiā erunt rerum & numero definita. similiter & in mediis. Infinita enim sunt & ibi ea quæ sunt speciæ eiusdem. Quare si præter sensibilia & mathematica non sint aliqua alia, qualia quidam inquirunt formas esse, substantia vna numero speciæque non erit, neque principia eorum quæ sunt, erunt numero, sed speciæ definita. Si igitur hoc est necessarium, & formas ob id ipsum esse necesse est. Nam etsi non bene positionem suam declarant ii qui dicunt ideas esse, id tamen est quod volunt, & hæc ipsi dicant necesse est, vnāquamque formarum substantiam quandam esse, & nullam per accidens. At vero ea quæ necesse est euenire impossibilia, si formas posuerimus, & vnum numero principia ipsa non speciæ esse, iam antea diximus.

58 Omnino autem dubitauerit quispiam, cur & quæerere alia quædam præter sensibiles & medias res oportet, vt ea quæ ponimus formas.) Quæstio est, quomodo probari possit eorum sententia qui præter sensibiles substantias, & medias, id est mathematicas, quasdam alias causas inquirunt afferuntque, vt auctores idearum. Deinde opinioni fauens, probabilitatem subiungit, quoniam mathematica, quanquam cætera discrepent a sensibilibus, scilicet quod sempiterna sint, & immobilia, vt supra dixit, hoc tamen ab ipsis non differunt, quod multa eadem speciæ in ipsis habentur. horum nanque nullum est, vt supra dixit, vnum numero, sed vnumquodque est vnum speciæ, numero autem singula quæque huiusmodi inter se similia. quo fit, vt horum nullum sit substantia, & principium aliorum. quod si neque horum, neque sensibilibus principia numero sunt definita, utique rerum principia non erunt definita numero, neque aliqua substantia vna numero finitaque in principijs erit, nisi quædam aliæ substantiæ sint præter sensibiles & mathematicas, quales ideas esse tradunt. Nullum enim principium fuerit vnum numero, si sensibilia & mathematica sunt vnum speciæ, nec præter hæc alia est substantia. Præterea neque rerum principia erunt substantiæ, si harum quæque non est vna numero. Vniuersalia enim ex accidenti sunt, vt in processu declarabit. Sed postquam dixit, substantia vt principium non erit vna numero, addit, (& speciæ.) hoc est, natura & substantia. vel sic, principiorum non erit alterū vnum numero, alterum vnū speciæ, quod

Mathematicorum a sensibilibus differētia.

Elemētorū
ac syllaba-
rum ratio.

Cōmune
ac vniuer-
sale non est
pprie sub-
stantia.

niam id tantum erit, quod vnum specie fuerit, quod non est proprie principium in his esse, habēsque quodque ab his intelligat, quorum principia esse dicuntur. Quamquam melius ad hunc modum scriptum est: Non erit vna numero, sed specie. hoc enim est, quod tum e superioribus cōficitur, tum ex hoc quod infertur, (Neque principia eorum quæ sunt, erunt numero, sed specie definita.) Nam si alia substantia præter sensibiles & mathematicas nulla sit, nullæ fuerint substantiæ definitæ, quod si ita est, nec principia proprie sunt substantiæ, cum non sint substantiæ definitæ, necessarium esse videtur, ut alias esse substantias statuamus, quarum quæque proprie substantia sit, quæ neque cuiuspiam communione, neque ex accidenti esse habeat, & vnum. Nam quod est vnum specie, id ex accidenti est vnum, non proprie. At si quis huiusmodi substantias esse statuerit, admonet nos incommodorū que huiusmodi sententiam sequi supra demonstrat. Dictorum autem intellectus huiusmodi est. Propositis syllabarum elementis, docet in his principia singulorum, & quæ communiter de aliquo prædicantur, non esse numero definita, sed specie. A namque commune principium singulorum, a vnum est specie, non numero. quæ ratio eadem est in cæteris elementis seu literis. Ut vero in elementis, sic in singulis hominibus homo, & in cæteris sensibilibus pari ratione. sed dixit harum literarum notationem numero principia definita non esse, sed specie. huius autem determinatæ syllabæ ba, hoc a, & hoc b, esse principia & elemēta determinata numero. Hoc autem adiecit, ac docuit in syllabis ad hunc modum acceptis, & in omnibus principiis compositorū, in quibus licet principia numero determinata lumere, rursus alia communia horum esse principia, quoniam a quod habetur in hac syllaba, & quod in illa, principium habent a, quod communiter prædicatur. Postquam vero docuit in literis commune & vnum specie principium esse, similiter, inquit, res se habet in medijs, hoc est, in mathematicis. Etenim perinde in mathematicis, ut in elementis multa, atque adeo infinita singularia sumimus, quæ sunt eiusdem speciei inter se. Dicit autem similiter & in naturalibus & in mathematicis, quoniam ratio eadem est in vtrisque. Non erit, inquit, vlla alia substantia vna numero, nisi si qualem idearum auctores inducere volunt. (Substantia, inquit, vna numero speciei non erit.) id est, non erit aliqua specifica substantia vna numero, non igitur entium principia definita & tot numero erunt, sed specie. Si autem hoc est necessarium, ut scilicet entium principia numero definiantur, (sic enim fiet ut substantiæ sint, nam commune non est proprie substantia, ac proinde neque principium neque elemētum) profecto idearum assertores necessaria ratione ducti esse videri possunt, ut in huiusmodi opinionem venirent. Nam licet hoc non aperte dicant, propterea quod istorum sententia nihil admodum expressum dictumque tradit, at certe huc ipsi ducti esse videntur, ut ideas principia esse rerum statuerent, quod principia substantiæ ac definita esse oporteat. Sic enim his entium principia substantiæ atque adeo per se substantiæ ab alijs differentes, quæ sint vnum specie, non per accidens, ut communia esse videntur. Communium namque substantia non est per se, sed ex accidenti. His porro dictis, atque huius opinionis adducta probabilitate, admonet nos eorū quæ in hanc opinionem disputata sunt, & omnino in eos quibus principiorum quodque vnum esse numero placebat. Dictum est enim, præter principia tunc nihil fore. Nam quorum principia numero definita sunt, hæc totidem numero atque principia esse demonstratum est. quo fit, ut præter principia nullæ res aliæ sint futuræ. & cætera quæ in primo libro contra idearum assertores adducta sunt.

His autem hæc dubitatio propinqua esse videtur, utrum potentia sint ipsa elementa, an aliquo alio modo. nam si sint alio modo, erit aliquid aliud principis prius. potentia namque illam causam antecedit, atque non omne quod est potentia, illo modo sese habere necesse est. Sin vero potentia sint, fieri potest ut nihil sit eorum quæ sunt. Potest enim & id esse, quod nondum est. nam fit quidem id quod non est, nihil autem fit eorum quæ nequeunt esse. Has igitur dubitationes de principiis dubitare necesse est, & utrum vniuersalia sint, an eo sint modo quo dicimus ipsa singularia esse. Nam si ipsa vniuersalia sint, non erunt substantiæ. Nihil enim communium hoc aliquid, sed quale significat. substantiam autem hoc aliquid significare constat. Quod si id quod communiter prædicatur, hoc aliquid erit, digitoque poterit designari, Socrates sane multa animalia erit, ipseque & homo, ac animal, si vnumquodque hoc aliquid vnumque significat. Hæc igitur accidunt, si principia vniuersalia esse ponantur. Sin vero non sint vniuersalia, sed ut singularia, non cadunt sub scientiam, scientia namque omnium vniuersalium est. Quare principia erunt alia principiis sane priora, vniuersalem subeuntia prædicationem, si ipsorum scientia sit futura.

His autem hæc dubitatio propinqua esse videtur, utrum potentia sint ipsa elementa, an aliquo alio modo. Hæc questio admodum Logica est, quærit autem utrum elementa rerumque principia potentia sint, an actu. hoc enim significatur his verbis (an alio aliquo modo) si enim actu, nā hoc significat cū

ait, (nam si sint alio modo.) principiorum principia erunt, vt ipse dicit, (erit aliquid aliud principijs prius.) quod est incommodum. Quid autem prius erit? an quod est potentia? quoniam in eadem re potentia quàm actus prior esse videtur. quare si causa & principium est actu, nimirum potentia prior erit ipso principio, si quidem actu est. Neque enim si quid est possibile, protinus vt actu sit esse necesse. Itaque non conuertuntur: sed eius quod nondum est actu, potentia præcedit, & in omni possibili, potentia prior actu erit. quod quidem Aristoteles breuissime exposuit, dum illis verbis, (potentia nanque illam causam antecedit) adiungit illa, (Atque non esse quod est potentia, illo modo sese habere necesse est.) hoc est actu esse. Dixit autem illam causam, pro illo principio quod actu esset, assumens per illud, (potentia nanque illam causam antecedit.) hoc est, si quid actu est, prius potentiã habuisse. Siquis autem elemēta potentia, nõ actu esse stauerit, fiet vt nihil omnino esse possibile sit. Potest enim esse, id quod nondum est. Principia ergo si potentia sunt, eadem non esse possunt. quod si hæc non sint, ne illa quidem fuerint quæ ex ipsis constituantur. Esse autem possibile quod non est, docuit, quia quod efficitur, non est. quod significauit dicens, (Nam fit quidem id, quod non est.) quod autem fit, est possibile, possibile igitur non est. Sumit autem alteram propositionem, cum ait. (Nihil autem fit eorum, quæ nequeunt esse.) quod perinde est, ac si diceret, fit, quod hoc potentia est, & possibile. Ad hæc rursus quæstionis illius supradictæ mentionem facit, vt trum elementa & principia rerum vniuersalia & communia sint, an singularia. Adiungit igitur hanc difficultatem, quæ tunc est commemorata. assumit autē substantiam esse subiectum, & hoc aliquid, non autem quale quid. Nam substantiarum genera speciesque non significant hoc aliquid, sed qualitatem. nam quale circa substantiam definiūt, vt docuit in prædicamentis. Quod vero neque vniuersale neque commune principium sit, docet in hunc modū, si quis dicat vniuersale principium esse, fiet, vt commune hoc aliquid significet, & sub expositionem cadat, vt quasi digito demonstrari possit, vt Socrates, & indiuidua substantia. Quod si ita sit, profecto Socrates erit multa numero animalia, ipse videlicet Socrates, & animal, & homo, siquidem & homo & animal hoc aliquid est, & per se & sub demonstrationem expositionemque cadit. Socrates enim est homo, neque idem est esse Socratis, & esse hominis. quin etiam animal. nam Socrates animal est. ipsum enim subiectum erit, & per se subsistens. At hoc non vniuersale est, sed indiuidui. (Sin vero non sint vniuersalia.) Est enim argumentatus in hoc, & effici dixit vt Socrates sit multa animalia. Vel hic est dictorum sensus, sicui placeat, huiusmodi esse vniuersale, vt non quale quid significet, sed hoc aliquid & substantiam, & perinde esse, vt quæ expositione declarantur. Exponi enim dixit, quod communiter prædicatur. Si ergo huiusmodi est vniuersale, efficitur vt sit tanquã singularia, nec eius habeatur scientia. Vel potius cum docuisset principia non esse vniuersalia, merito nunc in alteram quæstionis partem transiens, dicit. (Si vero non sint vniuersalia.) Est autem sensus, si quis dicat principia non esse vniuersalia, sed singularia & indiuidua, rursus principiorum non erit scientia: quoniam scientia est vniuersalium. quare principiorum erunt alia principia, si est ipsorum futura scientia. & sic rursus principia erunt vniuersalia, aut ipsa non erunt scibilia. Atque hæc quidem sunt quæstiones in secundo libro disputatæ, rationibusque probabilibus ac suadentibus confirmatæ. Fieri enim non potest, vt qui in oppositas partes edisserunt, ij probabilibus argumentationibus non vtantur: quæ nisi huiusmodi essent, sed necessario colligerent, solui nequam possent.

Possible
est esse qd
non est.

FINIS TERTII LIBRI.